


Universitätsbibliothek Paderborn

**Historica Relatio De Ortu Et Progressu Fidei Orthodoxae
In Regno Chinensi Per Missionarios Societatis Jesu**

Schall von Bell, Johann Adam

Ratisbonae, 1672

urn:nbn:de:hbz:466:1-11805



N
I
26

Exlegato Celm' Princis Ferdinandi
Eri Paderb: et Monester:
Anno 1683

Th. 5079.

HISTORICA RELATIO
DE
**ORTU ET
PROGRESSU FI-
DEI ORTHODOXÆ**
In
Regno Chinensi

Per
Missionarios SOCIETATIS JESU

Ab

Anno 1581. usque ad Annum 1669.

Novissimè collecta.

Ex Literis corundem Patrum Societatis J E S U
Precipue

R. P. JOANNIS ADAMI SCHALL
Coloniensis

Ex eadem Societate.

Editio altera, & aucta, Geographicâ Regni
Chinensis descriptione; Compendiosa Narra-
tione de Statu Missionis Chinensis; Prodi-
giis, quæ in ultima Persecutione con-
tigerunt; & Indice.

Cum Facultate Superiorum.

Sumptibus JOAN. CONRADI EMMRICH
Civis & Bibliopolæ

RATISBONÆ Typis AUGUSTI Handwicß/
ANNO M. DC. LXXII.

Collig. Societatis Iesu Paderb.





AUGUSTISSIMO,
POTENTISSIMOQUE
ROMANORUM
IMPERATORI

LEOPOLDO
GERMANIÆ, HUN-
GARIÆ, BOHEMIÆ,
&c.

R E G I,
ARCHIDUCI AUSTRIÆ,
PRINCIPI AC DOMINO
CLEMENTISSIMO.

Placuit MAJE-
STATI VESTRÆ appul-
sos nuper à postremis
Asiae finibus, & vastis-
simo Chinensium Imperio, binos
è Societate Iesu Patres singulari,
eâdemq; Austriacâ Benevolentia
complecti. Quam consalutare ab
itinere diverterant Patriam, Au-
gustissimæ deprehenderunt esse
Regnum Humanitatis: Quem a-
vitum sibi Dominum revereri ac-
currerant, experiri contigit Pa-
rentem. Christianæ Pietatis post
togatos Principes, Dux maximus
præclaræ, pro Religione promo-
vendo

vendâ , expeditionis authoratos
milites dignatione planè Impera-
toriâ voluit observare : Invictis-
simam dexteram , quâ Ecclesiæ
Dei assistit in terris , ut fulminan-
dis hostibus ; ita complectendis
Dei gloriæ athletis , liberalissimè
impendens. Reduces illi, unde ve-
nerant , narrabunt orbi alteri Eu-
ropæorum admiranda. Dicent il-
los ; non tam Regionum amplitu-
dine , divitiis fossiliis , fluviorum
opibus , in quorum censum Chi-
nensia quoq; & Indica affatim ve-
niunt , quâm Principum laude , atq;
imprimis Regnum Maximi LEO-
POLDI commendatione cæteras
gentes longè antecellere. Dicent ,
eminere in Europa IMPERATO-

REM sic Humanitate; ut Majestate: sic Religione; ut Dignitate: sic Munificentia; ut Viribus: sic Felicitate; ut Potentia celebratissimum. Evincent; ut desiderio ac votis conceptis sperent illi; populis propioribus in jura ac clientelam sensim ultrò concedentibus, se quoque tandem Augustissimi Principatus unà, atq; Clementiae profusissimae radijs confovendos: Sole Austriaco, qui ex Hesperia alioquin orbem jam circumit universum; ex Germania quoq; procursuro, ut in medulla Orientis augustalem Thronum Romanis Aquilis designet.

Adest iterum in hoc libello
novus è Chinis hospes ad genua
MAIE-

MAIESTATIS VESTRÆ provolu-
tus. Germanâ & ille fide Principi
suo Clementissimo, in debiti amo-
ris & honoris vectigal, levidense
munus, rerum apud Chinenses ge-
starum adusque currentis sæculi
sexagesimum, defert. Non ætas
illum devexa ; non consuetudo
propè quinquaginta annis alio-
rum mortalium ; non Aula Pequi-
nensis, quam ut plurimùm trivit
haec tenus ; non Mandarinorum è
primis dignitas, quam ille inibi
gentium Astronomiæ suæ debet
in acceptis, ab adeunda MAIE-
STATE VESTRA, per adeò vastos
terrarum marisqve tractus prohi-
buerunt. Septuagenario major,
acceleratione quâ potest, com-


pensat obligationum multiplicium nomina. Dissimilitudo morum, quibus interea assuevit, non mutavit amorem. Regia Pequinen sis, prô quantum dispar ab Austriacâ! impulit etiam, ut nativum Principem non præteriret injurius, dum adscititum colit: Geni Astronomicus planè solicitavit, ut Polum orbis Arctici, quem MAESTAS VESTRA, aut sceptro, aut dignitate obtinet, quandoquidem oculis ab alto tantum licuit haec-
nus, etiam affectu animoq; deditissimo, sic contestato observaret. Dignabitur MAESTAS VESTRA, senem optimum nuper in portum Cæsareo-Academici Collegij Viennensis appulsum, ibidemque ab itine-

itineris & peregrini cultūs illuvie,
dum prodiret ornatior, paucos di-
es commoratum, gratiâ, quâ suos
clementissimè beat, complecti: u-
nâqve Missionem Chinensem Au-
gustissimo pectori jam ante à Fa-
voris ac Benevolentiae suæ locu-
pletissimâ indulgentiâ inscripta,
illo in gloriosissimo sacrario, Dei
gloriæ, ac sibi æternum conser-
vare.

MAJESTATIS
VESTRÆ

Devotissime

Missio Chinensis
Soc: Jesu.



APPROBATIO.

Ego Michaël Sicuten,
ESoc: JESV per Provin-
ciam Austriæ Præpositus
Provincialis, factâ mihi
potestate ab Adm R. P.
Joanne Paulo Oliva, Præ-
posito Generali ejusdem
Societatis, facultatem
concedo; ut liber, qui in-
titulatur Historica Rela-
tio de Ortu & Progressu
Fidei Orthodoxæ in Re-
gno Chinensi per Missio-
narios Soc JESU, &c. à
cer-

certis dictæ Societatis Pa-
tribus revisus , & appro-
batus typis mandetur. In
cujus rei fidem , has litte-
ras manu meâ subscriptas,
& officij sigillo munitas
dedi. Viennæ I. Septemb.
1665.



IN.

INDEX Capitum.

- C**aput I. *Initia Expeditionis Christiana apud Chinenses opera & Societatis JESU.*
- C**ap. II. *Patres ad reformationem Astronomi- carum Ephemeridum seu Calendarij Sinicis animum adjiciunt.* 7.
- C**ap. III. *Adversa quibus Astronomici Patrum labores confixerunt. Mors Doctoris Pauli.*
- C**ap. IV. *Alij motus adversus Calculi Astrono- mici novitatem.* 14. 21.
- C**ap. V. *Christianalex in Aula Regia insinua- tur prospero cum Successu.* 35.
- C**ap. VI. *Rex Methodum Astronomicam à Pa- tribus traditam approbat.* 50.
- C**ap. VII. *Alijs pro Republica bono molitioni- bus præficitur à Rege P. Adamus Schall.* 63.
- C**ap. VIII. *Infamiproditione Rex occumbit & Imperium evertitur.* 75.
- C**ap. IX. *Latro Imperij invasor pellitur ab au- xiliatoribus Tartaric. Pequinum spoliatur & incenditur.* 93.
- C**ap. X. *Instauratio Imperij per Tartaros, & Astronomiæ restitutacura.* 110.
- C**ap. XI. *Collata P. Adamo rerum Mathema- ticarum prefectura confirmatur.* 119.
- Cap. XII.

INDEX Capitum.

- Cap. XII. Regnantium in Chinis Tartarorum
prosapia; corundem in Astronomiam stu-
dia: Regis Coreanorum in eandem ac Chri-
stianas res propensio. 131.
- Cap. XIII. Museum apud Proceres & in Regia
occasione studij Astronomici valet P. Ada-
muss, & inde occasio Christianæ Fidei pro-
movende. 142.
- Cap. XIV. Occasione Astronomia præclara do-
cumenta Regi dantur. 160.
- Cap. XV. Rex singulari benevolentia prose-
quitur P. Adamum Schall. 178.
- Cap. XVI. Imperator Divinae legis fit Auditor
& fautor. 196.
- Cap. XVII. Rex multis beneficijs rem Christi-
anam ornat ac promovet. 213.
- Cap. XVIII. Templum DEO publicè erectum...
Pietas & fervor Neophytorum Chinens-
ium. 230.
- Cap. XIX. De rarissimus dampnueri ad ædifica-
tionem exemplis. 242.
- Cap. XX. De alijs Christianarum virtutum
exemplis. 260.
- Cap. XXI. Ultimus pro instaurata Astronomia
conflictus, & ex illo victoria Europæi cal-
culi. 279.

INDEX Capitum.

- Cap. XXII. Moritur Rex, & successor designatur. 295.
- Cap. XXIII. De cura universim mortuorum apud Chinenses. 213.
- Cap. XIV. De funeralibus demortui Regis, deque juramento fidelitatis Successori praestito. 330.
- Cap. XXV. Elogia ac Privilegia ab Imperatore Chinensium P. Joanni Adamo Schall, ejusque progenitoribus Patri, Matri, Avo, & Avie in pignus Regiae benevolentiae collata. 345.
- Compendiosa Narratio de statu Missionis Chinensis ab anno 1581. usq; ad annum 1669. 353.
- Catalogus Prodigiorum apud Sinas, quae regnantibus Tartaris in ultima Persecutione contigerunt. 370.



Initia

IMPERII
SINARUM
Nova Descriptio.







*Initia Expeditionis Christianæ apud Chinenses
operâ Societatis JESU.*

CAPUT I.

Altimus laborum, quos S. Fanciscus Xaverius, Christianæ Religioni, apud Gentes ab orbe nostro longissimè dissitas, proferendæ gloriose impendit, vastissimi Chinensium Imperij reclusus aditus fuit. Legibus illi arctius, quam muro suo & Oceano conclusi, pertinacissimè exterorum quorumvis consuetudinem ac mores fugiunt: Nisi legationis causâ advenaris, indubitata nex, aut perpetuus carcer ingredi tentantem manet. Moribus autem peregrinis assuescere dediantr, qui superbè plus cæteris mortalibus sapere se unos credunt. Nec carent melioris indolis existimatione, quam ambitiosè tuentur, apud finitimos. Legem Divinam in Japonia suadenti Xaverio reponebatur identidem à Barbaris: iret & vicinis Chinensibus eam persuaderet; sine morâ secuturos universim Japones, si isti quos à sapientia suspicerent, conspirarent. Itaque quos erudierat

A verbo

2 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

verbo , firmaturus exemplo Indiarum Apostolus ; Indis ac Japonibus abunde in fide instrutis, acceptis ab Europa etiam socrorum coloniis, & per ea regna deductis , sacrā expeditiōne in Chinas suscepit. Delatus inter præsentissima pericula , quæ vel ductorum metus , vel regni finium custodia faciebant in *Quāmtūm* Provinciam maritimam, quam Cantoniam scriptores nostri appellavēre , ibi prima calentissimorum suorum pro fide propaganda desideriorum vestigia impressit. Verūm desperato undiq; obstructōq; in regnum aditu divina illum providentia in vestibulo continuuit, evocatūmq; inde ad superos voluit esse Apostolicæ hujus expeditionis patronum è cœlo magis , quām ducem à terra.

Alij deinceps ejusdem cum Xaverio sicut Instituti, ita propositi eandem expeditionem avidè complexi, cū alijs super alia obstaculis, continuâ propè serie mutuo succendentibus confixerunt. Morabatur ediscendi Idiomatis singularitas , literarūmq; quarum ferè quælibet , sic proprijs characteribus pingitur , uti peculiari voce figuratur, multitudo. Obstabat quām plurima, quia inter Idololatras , sectarum disparitas , quibus scissa in semetipsam in illo populo impietas luctatur, publico sæpius Magistratum consilio atq; armis compescenda. Sunt autem istæ factiones religionum adeo noxiæ rebus

Chi-

Chinenium, ut propter illas noxij æquè atque innoxij, ac primū exteri quò ignoti magis, hoc ipso suspecti amplius trahantur, alienarūmque culparum occasione priores isti, quas minimè meruerunt, dent pœnas. Illud verò spem bonæ frugis disseminando Evangelio absorbebat omnem, quòd Magistratum ratio, quantumvis planè multiplex frequentissimè mutetur. Quò fit, ut neque apud populares, neque apud Primores Provinciarum, aut Civitatum Præsides radices possit agere peregrina Religio: Mutato siquidem Magistratu, populi studia ad Successoris ingenium flecti necesse est, qui communi plerumque potentium genio, novitatum studiosi firmari res suas, & apud suūmum Principem commendari amplius posse credunt, si antecessorum placita, recentioribus inductis, aut renovatis pristinis aboleverint.

Perrupit nihilominus Christiana virtus, & animarum zelus hæc obstacula. Infinuati per Regnum complures de Societate JESV legem adversus exterros, qua ratione DEO adversabatur, laudabili audaciâ fregerunt, Idiomatis difficultates infatigabili studio superarunt, fluctus discordantis populi cautâ per annos aliquot dexteritate declinarunt, donec etiam, ne motibus assiduis alternantium Magistratum, ipsi quoque nusquam fixi abriperentur, ipsam Reipublicæ arcem, Imper-

¶ *Initia Expedit Christianæ ad Chinens.*
ratoris aulam , pro ara & anchora corriput-
erint.

Primus omnium Matthæus Riccius ad Aulam penetravit , illorum suasu , quos erudierat in fide , quin & eorum , quorum gratiâ protegebatur ; quò illos redderet securiores adversus Idololatras , istos minus suspectos faceret apud ob-
trectatores . Horarias machinas aliaque Eu-
ropæorum singularia Imperatori obtulit , obti-
nuitque eorum gratiâ ut placeret : Detentus
fuit quoad vixit in Regia , & hoc solo nomine ,
quod in ea edicto regio versaretur , Socios u-
bique per Regnum intactos servavit . Succes-
sore Jacobus Pantoja , & Sabatinus de Ursis , iti-
dem ambo de Societate Sacerdotes . Hi quoque
sedem in Regno meditantes , cùm alia defice-
rent , curiosa Mathefeos studia Chinensibus re-
præsentando , alliciebant animos , occasione hac
veritate Christiana sensim imbuendos . Astro-
nomiæ pretium apud has gentes supra fidein-
invaluit : nil non ad observationes motuum
cœlestiū privati publici q; agitur ; optimi quiq;
rerūmque maximarum cupidi , aut huic studio
vacant , aut ab illo pendent . Ephemeridum per
id tempus ratio nonnihil à vero declinaverat :
errores ex Indigenis nonnulli correcturi pro-
mittebant industriam : Patres etiam ab ami-
cis , ut in commune operam suam conferrent
invitabantur . Nec à proposito alienum vi-
deba-

debatur rem hoc pacto curare literariam, atque ita fini intento, stabilitati mansionis simul procurandæ vacare. Præfocatus tamen ipso in partu conatus est; lège patria, & æmulis, in advenas, eorumque sectatores, qui Christiana sacra suscepserant, fulminantibus, eorum nonnulli regno pulsi, alij latere in abdito tantisper, dum sexenitas revertetur, compulsi sunt.

Decem propè annis abstinentum fuit à publico: quoad iusq; opportunitas occurseret sacram anchoram, hoc est favores Regios tutò repetendi. Hanc felici successu P. Nicolaus Longobardus occupavit, porrecto supplici libello, quo facultatem adeundi Curiam, in eaq; commorandi rogabat ad exhibendam artem, quam præferebat tormentorum æneorum. Nihil equidem ad postulata responsi tunc accepit; hoc tamen solo prætextu, quod gratiam & edictum Regium præstolaretur, usus fuit sperata, tanquam obtentâ licentia; simûlque Adversariorum insidias, ipsamque persecutionis vim, quæ nondum deferbuerat, magna ex parte discussit.

Incidit in eadem tempora funesta toti Chinensium Imperio motuum civilium collisio. Pacatam per complures annos Rempublicam rerum novarum cupidi, uti fit, discessione adversus Regem factâ turbaverunt. Rex ut istorū audaciam frangeret finitimorum Tartarorum

6 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

copias excivit, ulturus domesticorum improbitatem, flagro exterorum; quo tamen postea concussum corpus regni universum, & pars sincera cum sc̄elesta indoluit. Pulsis anno sexcentesimo quadragesimo quarto supra millesimum rebellibus, Tartari audaciā ut victoriā elati pro arbitrio Regnum ac Regem, quā ipsi vellent, flebant. Futuri imposterum stipatores Imperatorij lateris, jusserunt indigenas omnes relictis ædibus ac supellectili demigrare ab urbe in suburbia; hortis ac villis Pequino vicinoribus in propria emolumenta translatis. Hoc turbine rursus perculsi, qui in urbe Regia morabantur Patres, ædibus proscribuntur, & agro propè muros sito, unde victus potissimum suppeditabat; loco insuper sepulturæ P. Matthæi Riccij adempto, cuius viri memoria pro præsidio illis erat apud Chinenses, superstitiosos Majorum suorum cultores. Jamque urbanis etiam sedibus periculum imminebat, quando de violentia modestè interpellatus Rex singulari diplomate quod varijs in locis affigi jussit, indemnitatī Patrum cavit, & deperdita omnia à Regulis, ad quos devenerant recepta, possessoribus pristinis restitui ac confirmari mandavit, causā prætensā quod de Rege & Imperio (ut inquietabat) benemeriti adhuc eodem in obsequio Regio occuparentur. Regis exemplum illico secutus Magistratus, ad quem

dimen-

dimensio agrorum pertinet, à biennio ademptum agrum, nullo præterea procurante redididerunt, auxeruntque impetrata, quin etiam à Rege duplo majori loci portione cum adjecta Villa: Domum autem, non solum intactam, sed & quadruplo auctam servavere.

C A P U T II.

*Patres ad reformationem Astronomicarum
Ephemeridum seu Calendarij Sinici
animum adjiciunt.*

Regiâ Imperatoris Chinensium benevolentia, iterum prosperè è tenebris in publicum eluctati Patres, demerendæ sibi constanter gentis, ad conversionis animarum ulterius promovenda lucra, occasionem ex Calendarij Sinici Astronomiaæ que in integrum restitutione ceperunt. Commune id fuerat votum Regis ac Magistratum, qui nonnihil defectuum in temporum motuūmq; cœlestium, quos scrupulosè observant, prædictionibus jam pridem notaverant. Ter centum octoginta ferè anni abjerant, ex quo nihil in calculis Astronomicis immutassent; cùm alias consuissent propter artis, nec dum apud ipsos ad principia certiora deducetæ, imperitiam, identidem aliquid calculis addere vel demere; experientia

8 *Initia Expedit. Christiana ad Chinens.*

entiâ Magistrâ supplente scientiam. Inter quatuor millia añorum supra septuagies limam & correctionem acceperant Ephemerides. Postremus earum reformator *Coxeukim*, visus erat prioribus plus studij in eam rem contulisse; nam qui ejus scripta emendaret, huc usque non fuit, seu quia propè verum accederet ejus omnis doctrina, seu quia errorum infrequen-
tia supervacaneam moneret esse censuram. *Æquationem solis & anni* stabiliverat: modum computandi tam declinationem solis, quam Eclipticæ invenerat; Epocham in hora & radice Solstitij Hyberni constituerat; anni etiam quantitatem dimensus, ultra gradus integros minutorum viginti quatuor, secundorum viginti quinque esse sua opinione statuerat; loca denique siderum cum processionibus *Æquinoctiorum*, pro eo tempore notaverat. (erat tum annus Christi millesimus ducentesimus octogesimus primus; decimus octavus autem *Colibæ*, ejus, qui ex Tartarorum pro-
pia ortus, Sinense Imperium occupaverat) si-
gnato, in loco Solstitij hyberni, nono gradu cō-
stellationis *Ky*, numerando juxta Zodiacum, quam constellationem à stellâ tertiae magnitudinis in ipso acumine sagittæ Chyronis erat au-
spicatus: motum insuper Lunæ ejusq; latitudinem supra priores auxerat: Postremo altera-
tionem constellationum juxta *Æquatorem* co-
gnitam

gnitam & traditam unâ cum longitudine die-
rum ; Puncto ortûs & occasûs solis designave-
rat : Omnia propè verum. Experienciam nihil-
ominus postea patuit, defuisse nonnulla traditæ
doctrinæ, non describebatur Excentricitas or-
bium , non motus Augis solis , quam is in sol-
stitio æstivo , ubi tum versabatur , immobilem
reliquerat ; aliâque hujusmodi nec parvi mo-
menti præterierat : maximè in calculo Ecli-
psium solarium segnior visus : Quæ plurimos
paulatim errores induxerunt factumque ut anno
Imperij *Ciunchin* qui ultimus ex familia *Chum*
regnavit annis sexdecim , classis mathematica
in prædicenda Eclipsi solis à vero aberraret :
quod cum Rex observasset , Præsidem Tribu-
nalis Rituum advocat , jubetque Astronomiæ
Præfectum admonere erroris , edicens , quod
si iterum exerraverint , non impunè latu-
ros.

Qui calculo præerant responderunt , se in-
methodo suâ nec iota unum mutare unquam
ausos ; nec posse quam à majoribus accepissent
rationem observandi dimittere : latere itaque
ignorantes quæ errorum sit causa : olim calcu-
lum exactiorem fuisse Antiquioribus , nec ta-
men ideo undequaque exactum , ubi uno vel
altero horæ quadrante aberrârint & ipsi : Eos-
dem horas integras , & aliquando dimidiast
dies neglexisse. Ita suæ imperitiæ inane suf-

A 5

fragi-

10 *Initia Expedit. Christiane ad Chinens.*
fragium petebant isti, ex solâ Majorum suorum
ignorantia.

Erat ex Præsidentibus Tribunalis Rituum, ad quod ista spectant, Doctor *Siu Paulus* non minus Patrum fautor, quâm ex animo Christianus; qui hanc ipsam, de qua meminimus ante, Eclipsim cum dicto Præside aliisque præterea multis præsentibus observârat ex calculo Patris Joannis Terentij, quem secum consulto adduxerat, exactè prognosi suâ respondente. Hanc verò stabiendi Patrum Missioni occasionem accommodans, cùm audisset Mathematicos ob admissum errorem puniendos esse, prudenter & ipse defectum in methodum calculi Sinici magis, quâm in ipsosmet Chinensium Astronomos rejecit, docuitque una posse mutuari ab Europæis hominibus, Legis divinæ Magistris rationem calculi sinceroris, quem Regi indicarent; atque ut monita firmaret tractatum de Eclipsibus, quem Pater Adamus Schall, Germanus, (ex cuius litteris ista excerpimus) tum adolescens, atque in urbe Regia commoratus, ut se in litteris Sinicis exerceret, duobus libellis erat complexus, in candidissima papyro impressum Magistratibus obtulit: effectumque est ut accedente Regio consensu nemo penitus Reformationi Ephemeridum Sinicarum contrairet. Nam hæc omnia cum Præses ad Regem retulisset respondit,

dit Rex : scio quod primus familiæ nostræ Imperator voluerit Calendarium à Tartaris reliquum corrigere , sed fortè bello impeditus , vel cæpta prosequi non potuit , vel absolvere : Tribunal vestrum quid hac in re agendum sit videat , & ad Nos referat . Statim ergo retulerunt , Doctorem Paulum non solum scire ea , quæ ad Reformationem Calendarij pertinent , sed eundem etiam pro eodem tempore in Tribunalis Rituum Assistentem Præsidis agere , ad quæ cura Calendarij immediatè spectat : Proinde judicare se dandum ipsi de more diploma cum officio , quo quid agendum , suâ industriâ ipse perspiciat .

Concessit Rex omnia , atque è vestigio Paulus hoc onus in se suscipiens libellum Regi obtulit , in quo immediatè ad Astronomiam pertinentia decem puncta collegit , in quibus sui errare probabantur ; addidit ad observationem decem genera instrumentorum ; aliarum denique Matheseos partium , vel ad eam aliquo modo spectantium (quales sunt Arithmeticæ , Geometria , Hydraulicæ , Musica , Optica) subjunxit , quas scientias Astronomiæ adjutrices & quasi collaterales vocabat ; decem quoque aliarum genera , non ita ut superiora , valde tamen ad perfectionem artis consequendam necessaria proposuit : Quare magnam doctrinæ opinionem non solum

32 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

Iūm apud literatos toto Regno , sed maximē in Regia consequutus est. Latebat interim Apelles post tabellam Pater Joannes Terentius, vir in omni literarum non minūs, quām virtutis & humilitatis studio versatissimus , quīque cūm apud Europæ Principes hac ipsa de causa esset futurus in honore , maluit tamen apud Sinas pro Christo exulare , quām in patria gloriosus vivere. Hunc ergo Regi hac occasione præsentatum, operi corrigendi Calendarij sufficiūrum proposuit ; idēque præsens tum in urbe solus cum Patre Nicolao Longobardo; solus etiam negotio præficitur. Rex deinceps cæpta quoque collaudavit ; atque ea quæ fabrili manu indigerent (qualia erant instrumenta varia) per Tribunal Ædilitatis jussit ad nutum Doctoris Pauli & præscriptum Patris Terentij confici : Ea ex robusta materia per maxima , limbo tamen & regula ex auricalcho ad comodorem Graduum ac minitorum inscriptionem perfecta sunt. Vix Pater rudimenta operum Mathematicorum jecerat, cūm Tartari irruptione non amicē ut nuper , sed hostiliter factā omnia perturbant , & ipse met eodem anno fatis cedens incœptum opus , non abjectum , deseruit.

Pacatis tumultibus , Doctor Paulus iterum dato libello primūm fassus est, se quondam Patri Matthæo Riccio familiarissimum fuisse, & plurima

rima Astronomica ab eo percepisse, quæ postea ejus è Societate Successores eâdem industriâ strenuè promovissent, sibi comperta, maximè circa Eclipses computandas, & verissima; juberet proinde Rex Patrem Adamum Schall cum Patre Jacobo Rho in locum Terentij succedere operi præ manibus versanti. Assensit illico Rex jussitque Magistratus urbiū, ubi degebant illi, omnia ad iter necessaria præbere; voluitque postquam in curiam pervenissent, more usitato cæterorum Magistratum, tametsi officium inter eos nullum haberent, ab illis palatium ingressis salutari.

Novum opus feliciter ausplicantibus placuit; primum intra domesticos parietes omnium motuum cœlestium & Eclipsium rationes; hoc est Astronomiam totam, eaque quæ ex Arithmeticis & Geometricis, aliisque Mathematices partibus hanc sustentant, vel ad eam quoquo modo pertinent, Sinicè reddere; deinde compositos libros subinde Regi offerre, additis unâ Instrumentis, quibus Principem delectari non obscurè constabat. Demum molem universam operis in tres classes dividere, quarum prima ad artem Introductoria foret & quomodolibet Astronomiam adjuvantia completeretur: Altera Theoriam planetarum Eclipsium ac Fixarum, earumque omnium tam computandi, quam dimetriendi

14 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

endi methodum indicaret : Tertia pro facilitando calculo omnia ad confessas Tabulas referret , ita ut nulla opus esset solutione Trianguli , vel labore qui Mathematicos à studio novæ Regulæ posset deterrere. Hæc singulæ centum quinquaginta libellis comprehensa , quinque plus minus annorum spatio , assiduo labore compilata , ac tum à Doctore Paulo Sinicè limata prodierunt in lucem : Hæc insuper re felices , quod Virum in eo nacti essent , qui non minus facilitate & elegantia styli , quam subiectæ materiæ notitiâ , omnia & ornaret & illustraret.

C A P U T III.

*Adversa quibus Astronomici Patrum labores
conflixerunt. Mors Doctoris Pauli.*

Suscepto operi primis annis impedimentum nullum fuit , dum intra privatos parietes ferveret : posteaquam verò in lucem prodire cœpit , & confessis varij Generis instrumentis , Regij Mathematici ad cœlum dimicendum provocari ; tum demum conspiratione facta , nihil ab indigenis Astronomiam profitentibus intentatum mansit , ut cœpta impedirentur : nihil non à Patribus , ut elucentur , exhaustum molestiæ.

Pri-

Primus in arenam profiliit Senex , cognomine GUEY , magni olim Viri & Astronomiae peritissimi , & ob id correctionem Calendarij tunc quoque affectantis discipulus ; hic ubi a montibus vicinis (in quibus delitescens morabatur , ad famam ut ferebatur , eruditionis auctoritatem) vocem renascentis Calendarij percepit , adrepit in Curiam , statimque libello supplici Regi oblato vicem despecti Sinensis Imperij deplorans , Zelum pro Patriæ existimatione copiosè monstravit : Ajebat perperam exteris Provinciam hanc emendandi Calendarij demandari ; cum ex indigenis aptiores non deessent : Illos & Imperatori & Imperio pudori esse : si alios nollent huic negotio praefici , se , quamvis decrepitum , illi expediendo sufficere . Majorem procellam ab hac critici senis intemperie veriti Patres , quem etiam asseclis stipatum adverterent , maturo consilio illum ipsum sibi adjungere statuunt , ac Doctori Paulo persuadent , ut suis illum Academicis adscribat ; non ultra adversaturum , si particeps fieret eruditionis , cuius fulgori invidebat . At providentior Paulus , Patrumque amantior , negabat concives suos indolem habere Europæam , quæ cuique sua candidè tribuat . Sub ovina pelle vulpem incedere , imò lupum grassari : Quidquid ingenij in commune collaturi essent Patres arrogaturum illum sibi ; Cessurum illum

16 *Initia Expedit. Christiane ad Chinens.*
illum equidem Patribus labores , sed honores~
involaturum.

Nec absuit vaticinio fides: libellum famosum
à sene editum nō multò pōst necesse habuerunt
ut confutarent Patres, & Paulus ut Authoritate
retunderet. Proscissus quin etiam iste à Bla-
terone calumnijs , quò validius inveteratam
elideret impudentiam, impetrato diplomate Re-
gio evocavit ex omnibus orbis Sinici Regnis~
ac Provincijs , quotquot vel aliqua Astrono-
miæ scientiâ pollerent , vel opem suam ad cor-
rigendum Calendarium conferre vellent : In-
ventique sunt complures , qui ex remotissimis
Provincijs confessim advolârunt ; quos ne pri-
vato consilio & nullo experimento facto denuo
dimitteret , ad futuras aliquot Eclipses provo-
cavit : Eo pacto , ut illi calculum suum fideliter
obsignatum , Patres quoque suum , anticipato
Regi traderent , ac tunc demum instantे die ,
unâ omnes , in specula Mathematica, Sinensi-
bus instrumentis instructi (ne qua suspicio
fraudis adesset) communi observationi ades-
sent : ita vel ab Astris discussâ causâ neminem
conqueri , ut præteritum ; neminem , ut con-
victum jure stomachari qui possit, futurum. Te-
nuit sæpius cursum hæc concertatio, seu quan-
do Eclipses , seu quando motus Planetarum
inspicerentur , & adventitij illi à calculis suis
plerumque delusi; cùm ultra concertare snppu-
deret

deret ad propria redierunt. perstitit in arena. Senecio ; mansitque conditio mutua observantium ; ut quotiescunq; instaret Eclipsis aliqua, vel alias Aspectus siderū ; non tantū Patres & Antagonista , sed etiam Regij Mathematici , qui classem suam in hoc Tribunali Mathematico tenent , quisque calculum suum obsignatum multis antè diebus Regi traderet : imò paucis diebus , antequam quid esset observandum, id ipsum depicto etiam schemate prælo daretur : Quà æmulatione factum , ut animi omnium ad diligens studium accenderentur, & quò quis melior , eò etiam vulgo amplius innotesceret.

Moritur interim Doctor Paulus , sui desiderio apud Regem, æquè atque apud Patres relieto: Bis téruē, dum decumberet, miserat Rex , qui suo eum nomine inviseret , muneris loco cœsculentis quibusdam in singularis benevolentiae signa submissis. Erat vir hic integerrimus: favorem emere , aut vendere nusquam solitus: In omni Sinensium disciplina eruditissimus ; styli quoq; elegantiâ eminens : Et quamvis ex Australi Provincia esset oriundus (qui ut plurimum sicuti ingenio antecellunt ; ita etiam caliditate & superbiâ superant) mirâ sinceritate & demissione omnes sibi devinciebat.

Modestiæ civilis illud documentum fuit. Contigit , ut Rex ipso præsente ex Colais , ad

B

quam

18 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

quam ipse quoque supremam dignitatem recens erat evectus , quæreret , nescio quid , antiqui Juris ; cùmque hoc omnes ignorarent ; maluit cum omnibus videri nescius , quam respondendo solus sapere : Vix ostium egressi , quærunt ex illo reliqui , quid de proposito negotio sentiret : tum ille quæstionem oblatam expeditissimè solvit : Conquerentibus postea illis , quòd tacuisset , candidè respondit : Tacui quia ad me interrogandum Rex nondum devenerat.

Quoties ad templum , ut sacrificio Missæ interesset , ventitabat (veniebat autem frequen-
tissimè , eaqué de causâ ædes ædibus Patrum ,
continguas conduxerat , ostiolo etiam pervias ,
quo faciliùs devotioni suæ satis faceret) Chri-
stiani parvulos ac plebejos , qui fortè propriùs
ad altare adrepserant , tanti viri reverentiā ,
protinus repellebant : Verùm hæc officia sibi
impendi vetabat ipse ; atque instantibus , ut ho-
norem hunc debitum non respueret , respon-
debat , se talibus stipatum confidentiùs coram
D E O preces effundere .

Habebat domi suæ Oratorium exiguum qui-
dem , sed decentissimè ornatum , ibique imagi-
nem Crucifixi devotissimè depictam , coram
quo mane quotidie prostratus , antequam ad
negotia procederet , dimidiâ ad minus horâ
D E O supplicabat .

Supremo morbo ægrotar

er Adamus
adisti-

adstitit in ipsius ædibus commoratus pro solatio-
tam bene meriti & tanti viri. Hunc tametsi æ-
tate longè juniorem, nempe quem triginta ferè
annos anteiret, Patris tamen loco Paulus re-
verebatur; nec solum ea, quæ pro dispositione
ad discessum è vita, & de Sacramentorum sus-
ceptione suggerebat, promptissimè exequeba-
tur, sed eâdem promptitudine alia quoque ex-
pediebat, quæ vel de dignioribus Academicis
Regi commendandis, vel de componendis re-
bus domesticis proponebat. Demortui fatus
Christiano more curatum est: Quod deinde
filius ac nepotes in Patriam avexerunt.

Defuncto Doctore Paulo, dum aliis hoc in
munere substitueretur, ab observationibus A-
strorum desitum est, & resumpta cura Ephe-
meridum seu Calendarij Chinensium restituen-
di: data opera, reddendo Cyclo sexagenario
Sinensi, qui ex duodecim litteris horarijs, cum
alijs decem, quasi proprijs notis componitur,
ijs quæ de naturali rerum ortu, & interitu, ad
singulos menses pertinent, pro nunc sibi reli-
ctis; Lunationū quantitates & respect⁹ ad solem,
ipsiusq; solis ortus, & occasus, huic loco pro-
prios, de novo additus (quæ postea ad omnes
Sinensis Imperij provincias extensa, solisque in
signa Zodiaci ingress⁹ pro ijsdē adjectus) relicto
spatio, quod alioquin Electiones ad res naturales
vel agendas vel vitandas explebat. Atq; hoc

B 2

modo

20 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

Calendarium vulgi descriptum , cum altero ,
quod Calendarium Planetarum vocant , quo
motus Planetarum ad dies singulos annotan-
tur. Utrarumque Ephemeridum exemplar pri-
mùm Regi præsentant quotannis Chinenses ,
cùm primùm à Mathematicis Regijs elabora-
tum est. Et prius quidem quotannis quarto
mense jam prælo eductum ad omnes Provin-
cias , recudendum in singulis , mittitur ; deci-
mo verò mense in ipsa Curia omnibus Magi-
stratibus distribuitur ; gravissimâ pœnâ propo-
sitâ ijs , qui privatim alia Calendaria ediderint ;
ut ita totum Imperium non nisi uniformi calcu-
lo , hocq; à solis Mathematicis Regijs in ipsa
Curia composito utatur. Posterioris exempla-
ria non nisi Tribunalibus , quæ sunt in Curia
pro rata distribuuntur. Eclipses verò utrius-
que sideris sex ad minus mensibus antequam
contingant Regi offeruntur , quò etiam tem-
pus ad remotiora regna mittendi suppetat. Sed
has quoniam Sinæ prout in Curia spectandæ
erant nihil immutatas aliò amandabant , ideo
ne in Provincijs remotioribus error eveniret ,
ad singulas Provinciarum Metropoles calcula-
tio propria deinceps expedienda fuit. Si qui
alij aspectus aliorum siderum , aut quævis
phænomena sese conspicienda offerant , hæc
ad Regem solum referuntur , & rarò alijs inno-
tescunt. Hac ratione ea quæ ex nova Plane-
tarum

tarum Theoria concinnata erant Calendaria tunc designata sunt, & quamdiu intra privatos parietes à Patribus compilabantur, aliquot consequentibus annis soli Regi oblata fuerunt: Postquam verò evaferant Juris publici, spatia illa quæ relicta erant electionibus ad singulos dies, indigenæ ipsi repleverunt; & quidem hæ multò meliores pristinis quòd à certioribus siderum aspectibus, causisq; naturalibus exatius combinatis desumerentur.

CAPUT IV.

Alij motus adversus Calculi Astronomicæ Novitatem.

Sublato è vivis Doctori Paulo sufficiendum se putabat is, de quo suprà meminimus Senecio: At decreto Regio in Præsidem Astronomiæ renunciatus est Doctor *Ly Petrus*, vir bonus equidem, sed percupidus pacis; qui que ubi contentione aliquâ opus esset humeros subtrahebat clypeo; *Vitricus*, non parens operis, quod Doctor Paulus fuerat auspicatus: Nec promovere rem communem solitus; sed more Chinensibus usitato hac occasione sine suo dispendio connixus promoveri. Eum Patres Regi suaferant annitente Paulo, ab ijsdem permoto, sed omnes amicitiæ & Christiani nominis larvâ delusi. Æmulos timidum homi-

22 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

nis ingenium audaciores fecit. Prior Senex
quasi dignaretur cum impari competere, cu-
jus aliquando se Magistrum in hac arte fuisse ja-
ctabat, effecit, ut non solum studiosi aliquot,
sed Viri etiam honorati complures à Petro dis-
cessionem facerent: quod mallent ipsum audire
Magistratum, quam ab ejus Alumno discere.
Majora exinde sibi pericula perquam timidè o-
minans Petrus cum hoste paciscitur, & dato ad
Regem libello supplici instanter petit, Æmulo
dari locum & facultatem ad novam Mathema-
ticas Academiam aperiendam, ubi asseclas ille
suos liberè institueret. Hinc lachrimæ postea,
& altercationes, quas armatus hostis, vanos
timores suos ferò nimis incusanti Petro, repo-
suit. Ipse Rex opinatus ex dissidentia artis,
Collegam Petro adscitum propè totus à Petro
in adversam partem inclinavit. Præterquam
enim quod multis sumptibus seni speculam Ma-
thematicam quadraginta cubitos altam, ubi ob-
servaret, jussit fabricari; viatum quoque quo-
tidianum, tam ipsi, quam ejusdem Socijs libe-
raliter à publico prouideri fecit; nec non subin-
de aliquid operis incepti humanissimè ab eo de-
poscere visus. Quos favores quia Rex non ul-
trà Patribus, ut ante, sed sibi impenderet, in-
tumuit senex, plus illos solito sensim ausus tan-
quam exterios despicere, donec Deo molima-
na Patrum adjuvante, patientiâ & labore supe-
raretur.

Per

Per id tempus Pater Adamus globum stelli-
ferum cum Planisphærio , ad horam noctu per
stellas capiendam , & Armillam Æquatoriam
cum Zodiacali mixtam (instrumentum multis
observationibus aptissimum) confecerat , o-
mnia non contemnendæ magnitudinis ex ære
affabre fusa , & deaurata , unâ cum Scioterico
horizontali , haetenus apud Sinas nunquam
viso , in marmore candido quinque cubitali in-
ciso , cuius stylus à Dracone (Sinensium Im-
peratorum est insigne) deaurato venustissimè
sustentabatur. Hæc machina proximè de Regiâ
licentiâ intra primos palatij muros constitit.
Triplici muro palatium circumdatur: intra pri-
mi ambitum sunt nemora , lacus , hippodromi ,
imò & montes , ubi cervi , lepores & damulæ
vagantur ; secundi à muris urbis nihil differunt
magnitudine & formâ , nisi quod artificio & e-
legantiâ superent : tertius Regis palatium am-
bit , & minij colore pictus totus rubet. Missis
Rex ad Academiam duobus Evnuchis prima-
rijs , omnia priùs inspici , & sibi describi jussit.
Evnuchi , seu quia avarissimo hominum
generi nemo quidquam muneris obtulerat ;
seu populi totius genio , infensi exteris ,
non ut inspectores , sed ut hostes , uni-
versa contemnere , & quamvis nihil earum re-
rum intelligerent , pro viribus tamen exte-
nuare singula ausi , ac tandem nihil boni ad Re-

gem

24 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

gem referre. Rex tamen, ut erat perspicacis ingenij, id quod erat suspicatus, non obstante sinistrâ informatione, jussit machinam introferri, ac biduò pôst ipse locum accedens, ut vidi, mirificè delectatus, omnia ab Evnuchis cautè custodiri præcepit. Increvit Patribus animus, & oblatâ proximè Eclipsi Solis, fidenter rogare Regem aggressi sunt; instrumenta illa, non ad extremum palatii murum, sed intra tertium & intimum locari pateretur, quò si quando libéret Regi, ipse posset opportunè inspicere.

Annuit postulato Rex, Patresque ipsos machinas introferre, & suis locis statuere voluit, vetuitq; alium præter authores, Patrem Adamum Schall, & Patrem Jacobum Rho intromitti; nec verò licebat usquam alteri eò, præter mulieres & Evnuchos, qui Regi ac Reginæ deserviunt, penetrare.

Expedito qui demandatus fuerat labore, epulo de mensa Regia refecti, magnâ cū benevolentia dimissi sunt. Plurimum valuit adversus æmulos collocata ista ante oculos Regis pro veritate sanioris doctrinæ, nativo etiam a silentio, quotidie loquens machina. Ad illam sæpius explorati Astrorum cursus, Planetarum motus, Solis & Lunæ deliquia, felicius Prognostica Patrum, quam Astronomiam Sinenium confirmabant. Addebat vires Euro-
pæorum

pæorum quoad Mathemata existimationi Pater Adamus, submissis in palatium identidem Sci- othericis manualibus, ex ebore elaboratis: subministrabat observationibus Astrorum tu- bos opticos: designationibus Astronomicis cir- cinos, Sphæras, Astrolabia, privatos Patrum labores, dum à conversione animarum vaca- bant: domi quoque navabat operam convin- cendis obtrectoribus, restituendæ ad Euro- pæorum morem Astronomiæ Chinicæ: Fasti- diosum senem provocabat ad conferendas ob- servationes, Præside Mathematicorum Do- ctore Petro, aliisque ex Tribunalí Rituum vi- ro primario, omnibus, quæ agebantur ut ades- set rogato, & singulis actionum per Notarium in libellos & acta publica relatis. Nec tamen adhuc demonstratæ sæpius veritates proster- nebant invidiam: Scrupulosè omnia expen- dentes æmuñi, sicuti instrumenta in minutis secundis, tertiiisve fallerent, in errores inve- hi, victoriam adversus Patres canere, spargere invulgus; toto eos cœlo aberrare: audebant: nihil pensi habentes, quod ipsi sexagies cen- tiésque remotius à scopo per suas observati- ones discederent: Livore plerumque fæditati suæ consolationem, ac patrocinium emendi- cante ex nævis cæterorum.

Accidit ut Pater Adamus Jovem inter asel- los transitum, & motu retrogrado proxime

B 5

còdem

26 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

éodem reversurum Regi denuociaret: Quæ res cùm apud Sinas sit mali ominis, statim decrepitus ille exiliens, dato Regi libello negavit futurum, ut prænunciabat Pater. Adeo observandi tempus: mittit Rex Evnuchorum duos primarios, qui observationi assistant. Hi speculam Mathematicam ingressi primò objurgant adstantes, quòd gauderent urbem Regiam vel palatium igne absumendum (hoc enim portendi illo Jovis per asellos motu sibi vulgo, unde unde nescitur, persuadent.)

Tum observationi adstant, incedentemque per ominosa fidera Jovem spectant; sed malitiâ intellectum prævertente, dissimulato quod viderant, Regi persuadent; depellendos à specula Europæos; solum operi Doctorem Petrum sufficere; vel aptandis tamen instrumentis ineptissimum. Non placuit Petro sociorum depulsio, quorum studio & labore fulcitur, noctemque eam plorando transfigens, accusavit deinceps pusilli nuper animi pœnas, quas nunc incurreret, spe laudum & commendationis secuturæ, nisi fulcra reponerentur, quibus nitebatur, frustrandus.

Quo autem fato factum dicam, quòd astrum omni fidem fecerit; cùm notum sciam, superstitionis casum omnem ominosum esse, & in fatis censeri; Deumq; permissois errorib⁹, quos amamus,

mus, errores nostros plectere, aut dextrè illis
uti ad procurandum bonum majus. Sequenti
die pulvis pyrius, vix duobus stadijs à specu-
la asservatus, casu accensus, ædes plurimas
absumpsit, & supra quingenta cadavera passim
disjecit (aselli quippe Sinicè, à congerie cada-
verum, nomen sortiti sunt) simul Regi ac po-
pulo contra pervicax Evnuchorum silentium
persuaserunt, veram fuisse eam Astrorum con-
junctionem, ad quam talis strages secuta fuis-
set.

Moritur interim Pater Jacobus Rho, vir laude
immortali dignus, animi verè excelsi, qui pe-
riculorum & molestiarum contemptor, præter
alia pro re Christiana apud Chinenses præclarè
gesta, firmandæ Societati in illo Regno, per
rerum Mathematicarum repræsentationes plu-
rimùm profuit. Hujus è postremis conatibus
ille fuit, quo socios nuper à specula Mathema-
tica dejectos postliminio reposuit. Irruperant
iterum in Imperium Tartari Anno Regis Impe-
rantis nono: Militiæ Præfecti in Regiam vocati
consulebant in commune: Sermo illatus de mu-
nitionibus ac dispositione Machinarum Belli-
carum, Europæos homines in memoriam re-
vocavit. Audiendi impetrantur à Rege & admit-
tuntur ad pristinam consuetudinem. Sæpius au-
ditos placuit commendare Regi, officio, vel titulo
Magistratūs cuiuspiam ornandos. Insuper Rex

Calen-

28 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

Calendarij Astronomici eorum curæ quoniam comissi memor, & expeditionem operis affectans, quam alij, ad quos omnino interim divertisset, multum differebant, longius ab se abesse ultrà noluit, jussitque domum aliquam cum agris (siquidem obire officia detrectarent) ubi comodè degerent, assignari. Dilata tū Regiæ voluntatis executio tantisper fuit: seu quia sponte rebus suis cederet in gratiam hospitum non inveniebatur: Seu quia Magistratus ære, eoque de more præpingui ad imperata exequenda erat movendus, quod non suppetebat. Tandem Doctor Petrus instructionem Calendarij, quam septennio concinnaverat Pater Jacobus Rho, Regi exhibens domum quam Socij proximè in Curia sibi assignatam ad tempus acceperant, confirmari in posterum rogavit, obtinuitque: Cui pro necessariis ad vitam viatumq; postea Senis Antagonistæ, itidem demortui, pensiones cum auctario accesserunt.

Sene itaque æmulo pariter vitâ functo junior hostis successit, illo ætate ac viribus validior. Literatus is erat è gradu *Prolytarum*, studiorum amantissimus: hic in Patrum familiaritatem jam olim irrepens, non solum eorum libros Siniços, sed omnes etiam Doctoris Pauli elucubrationes, quas dolo mutatus fuerat, diligentissimè inspexerat, imò transcriperat. Ad hæc ex filio quem

in Patrum disciplinam biennio ante tradiderat, hisce liberalib⁹ artibus ingenuè instructo, pleraque didicerat. Itaque auditâ morte Senis, protinus in ejus locum Magistro vacuum substitui petiit & impetravit. Prior filius mali corvi malum ovum gratiam instructoribus suis cœpit reddere; quando domum, Patribus in aliis rebus forte occupatis ingressus, quid quid invenit instrumentorum Mathematicorum, machinulam etiam rotarum horariam furto abstulit. Nec tamen diu lœtatus prædâ: proficiente enim latrones spoliarunt, & graviter ab his vulneratus, cùm diu decubuisse, tandem periit; Pater verò cum tota caterva discipulorum Senis, Senisque filio qui partes ejus egregiè adjuvabat, in aciem descendens, primò bis in defectibus utriusque sideris, quibus prædicendis turpiter aberraverat, tum aliquot vicibus in observatione aliarum stellarum superatus, atque adeò etiam à satellitio Magistratum, qui aderant, derisus est, ut propè insaniret. Atque hoc deinde furore actus libellum supplicem Regi dedit, nihil nisi calumnias in Patres continentem.

Accessit gravius incendium immissæ flammæ ab homine furente. Alius è clafse literatorum non jam media conversionis animarum prosequendæ; sed ipsam arcem finis intenti involavit. Criminabatur libello edito legem,

Chri-

30 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

Christianam ut Reipublicæ perniciosa, per quam sapientes Chinensium, viri magnâ virtute præditi, nominatim **CAM** Cū literatorum omnium Præceptor; & ex antiquis primi & pientissimi Sinarum Reges **YAÔ** & **XÀM** non solum despicerentur, sed etiamnum in inferno positi pœnas scelerum suorum luere assererentur. Hunc libellum æmulus ab Authore mutatus non solum Regi obtulit, sed etiam Evnuchorum omnium præcipuo commodavit; suo Marte Satyram addens, quò magis Evnuchi animum incenderet; effecitque ut is illico misso ad Patres famulo, libros eorum qui de lege tractabant, expeteret, illis omnino insciis, quid negotij tractaretur. Libri sine mora traditi, in quibus ille diligentissimè expensis, nihil censurâ dignum reperit; Authoris quoque mendacia post brevi apologiâ refutata, impudentiam hominis amplius redarguerunt. Rex libellos sibi, sacerisque suo oblatos veritate compertâ contempsit: Nec valuerunt pro infami scriptore adscita insuper in comune suffragium contra innocentes Bonziorum odia.

Discussit procellam non multò post succedens Eclipsis Lunæ, quam Rex ipse observaverat, inveneratque omnia ad amissim respondere novo Calculo eâ itaque observatione latus ultiro promulgavit solum Europæum Calculum respondisse cælo, cæteros omnes longissi-

longissimè aberrasse : Regiæ sententiæ nemo
adversari ausus præter unum , qui deficienti-
bus in oppositum argumentis, calumnias intor-
sit , & alterum eundemque Tribunalis Rituum
Præsidem , qui omnium regulas in unam coa-
lescere , concordiæ discordantis Patronus, vo-
lebat ; conatus scilicet humano capiti , cervi-
cem jungere equinam ; satis supérque in Patres
excandescens , quòd Patrio usui concordare
nollent ; In Regem , quin etiam immoderatiùs
invectus. Sed uterque temeritatis suæ pœnas
dedit ; hic officio dejectus ; ille impudentiæ ver-
bo Regio notatus. Cùmque hic proficere se ni-
hil conuiciando cerneret, aliud consilium inijt:
Sciebat Regem præcepisse , ut Pater Adamus
Mathematicos publicè doceret, & ad utendum
novâ regulâ præpararet: Quare ficte, an verè
se humilians , petiit à Rege , ut sibi ac suis li-
centia daretur , eundem inter Mathematicos
audiendi , contentos fore affirmans , si in Tri-
bunali pro matheseos candidatis admitteretur:
Negavit Rex , & tam ipsum quām Socios jussit
facessere , neque ullum posthac ad speculam
Mathematicam admitti. Indignatior ille , cæ-
pit coram Rege ex libello supplici scommata
contra Patrem Adamum in legem Dei evoine-
re , ita ut Rex solitò amplius exardescens , tam
ipsum quām Socios è Curia Pequinensi eje-
rit , & speculam , quam pro Sene quondam
obti-

32 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

obtinuerant , solo æquaverit ; rem gratissi-
mam spectantibus Patribus , Deoque gratias~
referentibus , quod consilia æmulorum simul
cum adversa Turri tandem elisa spectarent.

Doctor aliis gentilis , qui fratrem in Tri-
bunali Rituum (cui Tribunal Mathematicum
paret) non exiguae dignitatis virum habebat ,
ejusdem favore fultus in arenam descendit ,
séque Astronomiam (cuius aliquid à Patre A-
damo didicerat) abunde callere impudentissi-
mè professus est ; ac proinde Patrem Adamum
sibi cedere , & totum reformationis negotium
comitti debere , audax postulavit ; causam ad-
dens , quod Pater exterus impar esset tanto o-
peri : nec deceret illi hanc palmam porrigi , cui
indigenæ æquè pollerent ; Miratus hominis
impudentiam Pater , rem ad Mathematicos re-
tulit ; certus non admissuros arrogantiam ;
quoniam ea , de quibus se jactabat , erant ad-
scititia Europæorum. Ut merebatur , eve-
nit : tametsi enim libellos aliquot de hac arte
componeret , séque ipsum Regi venditaret ni-
hil tamen effecit ; Imò superbiæ pœnas morte
præfestinatâ abreptus luit ; Sphærásque & in-
strumenta Mathematica , quæ per Patrem A-
damum fieri curaverat famuli relata exiguo
pretio authori reddidere .

Mirabilius aliud ipsis Mathematicis ac-
cidit ; Nam cùm viderent negotium Patrum
jam

jam prosperè procedere , conduxere hominem literatum , qui multa Patri Adamo crimina affingens , auderet de iis tanquam certissimis , libello supplici Regem admonere , sed cùm verosimilia quæ deferebantur non essent , antequam quidquam causæ Rex cognovisset , jussit accusatorem comprehendere , & homini compedes injici : Qui cùm inediâ torqueretur , vociferari cœpit , se à Mathematicis ad serendas adversus innocentem calumnias conductum , & alienâ fraude captum fuisse ; Fuit tamen continuò exilio multatus , & ipsi Mathematici vellent , nollent , contributione pecuniariâ factâ , ut quām citissimè ejiceretur , cum Tribunali criminum convenerunt ; Regiæ voluntatis metu acti . Casus tamen hic improbi hominis non meticulosos , sed ferociores effecit complices : Ipsos enim jam non clanculum æmulos adjuvare , sed palam aliquid conari , exulcerati animi motus , indices passim calumniæ probebant .

Erat assessor in Tribunali Mathematico primarius , cognomine Cō , è cuius familia suprà decem in eodem Tribunali Magistratum gerebant , omnes animo perversissimo . Hic vel zelo antiquandi Calendarij vix dum editi in lumen ; vel pecuniæ cupiditate ductus (quam à Patre Adamo apertè petebat) libellum suplicem Regi obtulit , in quo de perturbatione

C

Tribu-

54 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

Tribunalis sui conquestus, quod scilicet ad nova distractis animis, ad ea quæ officij propria erant, non attenderent, rogabat Regem, ut vel restauratio Calendarij suspenderetur, vel saltem ut tantisper Pater Europæus, perturbationis, sicut operis, autor ejiceretur: asserebat, discipulos nondū eō perfectionis venisse, ut regulam novam tueri post istum, aut exercere possent; ita omnes, illo ejecto, tumultus sopiri posse. Similia multa oblatrancem reputit Rex, jussis Magistratibus, ad quos pertinet, de hominis temeritate judicium ferre, hominēmque castigare. Nondum Regis mandatum percrebuerat, quando Mahometanus eidem adscriptus Tribunali, advolans, perditio ordinem facti indicat; Sedebat forte ad mensam, scutellâ orizæ ori appositâ, more Sinensi, domesticis convescens: Opinatus nuntium, probantis datum consilium Regis, adesse; ut audivit contrarium, confessim repositâ in mensam scutellâ, bolo, qui alias ab Oriza fuisset innoxius, magis animo, quam gutturi, inhærente, præfocatus, & vix ad letum deportatus, expiravit: Invidiâ nemini magis fatali, præterquam sibi. Alij quatuor, è classe observatoria, averso animo, sæpius dum observarent, fraude usi, ut quoquomo do Antagonistis prodesse possent, Patribus obesse; anticipando vel postponendo tempus, judi-

judices fallebant, magnâ Patrum molestiâ, qui instrumenta observationum aliena recusabant, proprijsque manum adhibere indigenarum, suspectum meritò habebant. Ijdem non multo post, cæteris ferè incolubus, quamvis in communi lue, tunc grassante, mortui, omnium judicio fraudum pœnas dederunt; destinata sua Deo, per artes sibi notas, prosequente.

CAPUT V.

*Christiana Lex in Aula Regia insinuatur,
prospero cum successu.*

Promiserat Doctor Paulus Patrum nomine, quod absolutâ Astronomiâ, reliquas Mathematicas artes, Chinensibus essent communicaturi. Præstiterunt sperata tandem pro viribus. Neque solum instrumenta Astronomica, verum etiam optica, hydraulic & alia varij generis mechanica diem ibi terrarum aspexere; quin etiam Musicam adjecerunt. Jam annus decimus tertius Regis agebatur, quando in Gazophylacio Regio repertum clavi-cymbalum, quod olim Pater Matthæus Riccius Imperatoris avo detulerat, novæ Europæorum existimationi aditum fecit: Depotari Rex illud ad Patrem Adamum jussit, à quo non solum vetus temperari, sed aliud quoque simile construi sibi instrumentum mandavit. Obscurus avidè impe-

36 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

rio optatissimo est Pater, & ne deesset expectationi, artem quoque usumque clavi-cymbali sibi notam Sinicè reddidit, adjecto è Psalmis modulamine, quò artem vox amoenius illustraret. Meditabatur hac occasione legem DEI cum tripudio, siquidem aliis machinis nondum satis proficeret, ad Regem introducere. Non fefellit spes. Dum clavi-cymbalum fabricatur, vitam Christi Domini, quam in membranâ depictam, & aureis literis descriptam, atque argenteo involucro in formam libri compactam, Serenissimus quondam Dux Bavariæ, Maximilianus, Missioni dono dederat, vertit Sinicè, & à tergo figurarum aureis quoque literis describi curavit: Addidit imaginem trium Regum, Infantem JESUM adorantium, atque è cera omnino ad vivum efformatam, suisque coloribus distinctam, ut vivere diceres; quam idem Serenissimus Dux, Regi presentandam, submiserat. Hunc chorum, tam illustrium personarum, cum musica ad palatium comitatus, fortuito Evnuchum obvium habuit, primarij intra palatium Tribunalis Præsidem: Qui, quòd musicæ esset peritus, rebus istis perquam delectatus, omnia statim ad Regem vel invitatis apparitoribus intulit, una cum libello supplici, in quo earum rerum, maximè vitæ J E S U Christi ratio dabatur: Retinuit ea apud se Rex in conclavi præter more:

Alia

Alia non semel inspecta, mox Officialibus custodienda consignat: qui, quando opus fuerit, rursus depromant: Quin imò, cor Regis moderante Numine, atq; ad meliora sensim inflecte- te, resedit ad librū apertum, ita absorpt' animo; ut tertio ad prandendum invitatus non adver- terit: Ad hæc advocatâ Reginâ, tabellam com- monstrans digito, in puerum JESUM extento, hic inquit ipse *Fæ yù hoàm* hoc est absq; omni- bus spiritibus, absq; omni mensura major, cui Reginâ ipsa è vestigio flexis genibus caput ad terram usq; inclinavit. Rex postea tam librum, quām Regum Icônes, in Aula Regia altiori loco toti Palatio adoranda proposuit, jussis omnibus tam Reginis, quām Gynæco & Evnuchis, con- fidenter accedere, decem integros dies specta- culo indulxit.

Non defuere ex mulieribus nonnullæ quæ ea, quæ oculis spectabant altius in animum demitterent, atque ab Evnuchis, quorum jam multi Christiani erant, signatarum veritatem rerum edocetæ, ac subinde sincerâ pleniùs fide instru- etæ, quoniam palatium nec ipsæ egredi, nec quisquam aliis ingredi potest, ab iisdem Evnuchis baptizatæ Christo nomen dederunt. Præ- cipuæ istarum fuere Agatha, Helena, & Theodo- rora, quæ ex primo ordine (quarum non plures duodecim) Reginis quām proximo, interdiu alternatim Regi assistunt, eiique libel-

libellos supplices altâ voce prælegunt : & quoniam literas edoctæ sunt , dignitate non solum intra palatum , sed extra quoque , alias sui sexus omnes , superant ; ideoque & ante Regem sedere , cùmque eo latrunculis iudere , & confabulari illis liberè concessum : Quas , si Chinensem Europæis aulis compares , Principum filiabus si non origine , dignitate saltem æquiparare erit necesse. Post has secundi ordinis Lucia , Secunda , aliæque : ut sensim inferiorum ordinum propè quinquaginta , quæ Christo nomen dedissent , censerentur. Eædem insolito fervore melioris vitæ , virtutumque cultu , cæterarum extimulabant æmulationem. Una ex gentilibus , cum Christiana fortuitò altercata , eam ad Reginam detulit , accusans de Christiana lege , quam sequebatur. Accusatricem Regina serio reprehendens , legem illam non solum optimam esse , sed simul alias omnes aberrare professa , pro Christiana litem diremit : Alia teneroris ætatis , cùm rixando alteri , nondum Christianæ , injuriosum verbum inflixisset , mox adeò pœnitentiâ facti ducta est , ut ante ostium offensæ , dorsum denudans , egregiè in se flagello desævierit : ob idque ad Reginam deducta , cùm se Christianam testaretur , & quòd intra Palatum conclusa , culpam , quam ex offensa socia contraxerat , aliter nesciret diluere ; veniæ impetrandæ gratia scipsum sponte his

his flagellis subjecisse diceret, Reginam tum virtutis, tum adeò insolentis supplicij consideratione attonitam reliquit. Eadem, quoniam nec tractare cum Patribus, sed nec colloqui possent, inter se convenerant, ut saltem famulis eorum domesticis stipendium, & vestes, Patribus verò ea, quæ ad Ecclesiæ cultum erant necessaria, distributo in vices onere ipsæ curarent, internuntijs Evnuchis pastorum ad oviculas, & vicissim, voces & animarum negotia deferentibus: Hi tamen, postquam dictum in modum non parva pecunia corrogata fuisset, paulatim cupiditate obcæcati, servatâ utrique parti animarum curâ, cui non invidebant, crumenæ ipsi suæ consuluerunt, æs propè universum, quod pietas conflârat, suffurati.

Numerus Puellarum, quæ in Palatio vel Regi vel Reginis (quarum tres sunt lege Regni, quæ tamen dignitate minores, & flectere genua ante Principem Reginam solitæ) deserviunt, duorum millium est; Electæ omnes, & ut plurimum, certis diebus festivis, quales sunt natalis Regis, principium anni, & similes, ab Evnuchis, ac Proceribus, Regi dono dantur. Evnuchi, quorum facile decem millia numerantur, omnes è plebeiorum filijs constant. Quando in Aulam alleguntur (quod plerumq; interjectis aliquot annis evenit) priùs solicite expensi, siquidem sine nævo, aut maculâ, nullo

40 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

morbo obnoxij , inveniantur , admittuntur e-
quidem ; sed rursus strictiori examine in suas
classes distributi, meliores juxta Regem ac Re-
ginas retinentur ; reliqui per Tribunalia pala-
tij , quæ olim viginti quatuor erant numero,
nunc tantum quindecim, distribuuntur.

Ex his nonnulli prædictis puellis pro servis,
ad externarum rerum negotia tractanda , assi-
gnantur. Illarum meliores præter Evnuchos
habent pedissequas; quæ & ipsæ, cùm exire Pa-
latio nequeant, si quid foris agendum est , Spa-
donum quoq; operâ perficiant oportet. Evnu-
chi omnes, cùm conditione sint abjectissimi , si
qui intra Palatium studiis applicantur , super-
biæ intolerabilis evadunt : qui verò ad intima
officia abjiciuntur , nulla ingenuitate prædicti,
abjectos mores excolunt ; nec mirū, si quæ per
eos fiunt, vel indolis conditione, vel consuetu-
dinis vitio à recto devient. Omnem Pater A-
damus applicuit industriam, ut ex tanta homi-
num fœce aurum eliceret; aptissimum videlicet
aliquem, qui in hæc abdita lucem Evangelicam
tuto, ac sincerè deportaret. Incidit tandem in
unum Vām agnomine, qui nutrici nuperi Regis
infervierat. Is quoniam priùs gratiâ opibūsque
abundaverat , è quibus repente non mul-
tò antè culpâ alienâ exciderat , id , quod
positus in sublimi frustra venatus fuisset ,
reperit obvium in humili : didicerat à for-
tuna

tuna desertus, mores suos demissione animi ita componere, ut omnibus gratus omnium benevolentiam caperet: Præterea cum esset sedæ suæ tenacissimus, multis priùs concertationibus convictus, veritati manus dedit, ac probè instructus, cum Baptismo, Josephi nomen accepit, digniorque omnium fuit, cui soli provincia hæc demandaretur, quæ vicaria esset Apostolici munera.

Jam quæ sermonibus, & Christianarum Iconum repetito aspectu, per diem identidem in aulâ repræsentabatur ratio Divinæ legis, animo infixa altius recurrebat quoq; nonnullis insomno: nisi quoq; nō minùs per quietem interdum loqui Deum rectè dicas, & negotia sua, cum homine à turbarum diurnarum strepitu avocato, agere. Quædam ex Ethnicis videri sibi visa est, virum venerabilem & grandævum, qui librum precum ostenderet, insignitum à fronte paginæ, nomine Sanctissimo, Domini JESU, quale Catechismi libello præfigitur, jubrétq; librum illum evolvendo, omnia, quæ in eo continerentur, memoriter addiscere: Cūmq; illa, ruditatem suam prætendens excusaret, institisse iterum dicentem, nec multa esse, nec difficultia: quò tamen faciliùs edisceret, Eunuchum VAM Josephum nomine, accerferet, ipsum singula edoctrinum. Sequenti die ipsa unam è sodalibus invisit, quæ non

C 5

ante

42 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

ante dies multos Christiana effecta , librum Catechismi à lectione in mensa apertum reliquerat : viso ibidem Sanctissimo nomine JESV, quâ formâ ei pridie ostensum fuerat, plurimam gavisa non jam somnium , sed vera se vidisse agnoscit, & accersito Josepho, instructa de more , & baptizata est. Agatha , quam suprà nominavi exagerratæ bonitatis, & lenitatis fœmina , vix quarto à suscepto Baptismate die , nescio quâ suâ culpâ , dignitate , quâ eminebat , excidit : Ethnicæ exinde insultare , desertamque Pagôdum religionem , afflictæ exprobrare cœperunt : Ignara quid responderet , & simul verita prœposito fidem demere , dixit, se nondum Christianam esse ; plecti autem hoc ipso, quod differret amplecti veritatem: moras, quas haec tenus nexuisset , hoc flagro corripi : non defuturam se vocanti DEO quantocv̄is , modò vicissim amissa dignitas cœlitus restituatur.

Superveniens Josephus , monuit non esse agendum conditionibus cum DEO : à tali petitione protinus desisteret , si DEO placere optaret; affluentem DEI liberalitatem certa præstolaretur ; ubi obligationi suæ priùs ipsa satis fecisset. Paruit illa seque ignorantem peccasse pœnitens, quando minimè cogitavit, inopinatò post quartum diem in pristinū dignitatis gradū restituta est. Helena suprà memorata, cupiens nativæ suæ pulchritudini, quæ ibi terrarum rara est

ra est, gratiæ nonihil addere, inaures pretiosissimas appenderat: verita, ne istud oculos Josephi, qui de hac re jam monuerat, offenderebat, ejus conspectum fugiebat; quod advertens alia, licet inferioris esset ordinis, audacter tamen flagellum ex funiculis, quod ipsi miserat Pater Adamus, proferens, ambitiosam fœminam allocuta: Helena, inquit: Pater & Magister noster Adamus hoc ad me misit; ut illo tibi, arguendæ vanitati tuæ, quinquaginta ictus infligam; illico nacta est monito obsecuentem; statim inaures detraxit, nec unquam postea appendit.

Alia multum anxia, ut gradum ficeret ad ampliorem fortunam, quando jam octennium immota substiterat, quasi per jocum Josephum allocuta dixerat: si desiderata mihi à Deo impetraveris, statim Christiana ero: non abnuit Josephus sponsionem; quia mulierem magnam, & ad alias convertendas idoneam noverrat; veteri scilicet primævæ Ecclesiæ confiditiâ in Devm: Deo quoque obsecundante, ut nonnunquam solet, piæ simplicitati. Ex improviso erigitur illa; sed immemor promissi, nocte intempestâ adstare comminantem sibi quendam augustioris vultus videt; & alterâ dicit à Josepho repetitis animadversionibus impulsa, dicto tandem obaudiens, Baptisnum expectavit.

Dic

44 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

Die natali Regis, cùm Cæcilia ex Gynæceo Regio, mensæ Regiæ inferret jusculum ex farina ductili (prout Sinis omnibus cujusque natali die moris est) & casu effudisset; quòd hæc culpa non solum esset mali ominis, sed etiam negligentia in virtutibus ac pietate indicium; unde & palam confundi à Deo, & insuper ab hominibus ex ista offensione rigorosè castigari esset promerita; à socia, itidem Christianâ, ut ad Divam Virginem recurreret, admonita, statim ei votum ducenties recitandi Rosarium, si acerbiùs reportaret nihil, emisit; Rex præter morem placatior, in risum versus, amæno vultu Cæciliam intuens, nec objurgavit quidem.

Erat inter Ethnicas alia, SÚM cognomine, admodum procax; quæ obstinato animo Christianas passim lacessebat, nunc convitijs, nunc calumnijs incessens; Nocte per quietem visa est illi caterva Dæmonum, qui eam violenter abripere conarentur: sed simul manus in aëre destinata cohíbentem suspexit, audiuitque vocem: filiam hanc DEI nolite tangere; Visa simul videre Agatham, è Sociabus in obsequio Reginæ, cum vexillo Crucis ducentem agmen Virginum eximiæ venustatis, quas invitaretur sequi: velle se quidem, sed non audere respondit ista, nondum Baptismo ablutam: Tum Agatha: pro te, inquit,

inquit, nunc spondeo: cùm protinus, ut sibi hæc videbatur, in sequentem fecit. Die proximo Agatham invisit, eámque supplex spon- sionis admonet, nec multò pòst eādem spon- dente Baptismum suscipit.

Alterius vitæ, sacrum amuletum, quod Agnum DEI dicimus, in periculo præsidium fuit: Duæ Ethnicæ inter se contenderant, occa- sione Evnuchi, alteri earum ab obsequijs, & in alteram probrofius invecti. Hæc mul- ebri animo vindictam de æmula meditans, sus- pendio seipsam, quòd sciret hoc pacto æmu- lam quoque vitâ exuendam, interemit. Dum igitur & ista trahitur; supervenit MIAÔ Chri- stiano-Maura, & ad judicium raptæ sacrum amuletum collo injicit, monétque Sanctissima nomina JESV & MARIÆ identidem invocare. Valuit in DEUM fiducia: Namque hæc, quan- tumvis fuisset causa mortis alienæ, duobus so- lùm dignitatis gradibus dejecta, & viginti dun- taxat ictibus percussa, dimititur: altera, quæ altercantibus eisdem otiosa adstiterat, officium omnino perdidit, & insuper quadraginta icti- bus concussa fuit: Evnuchus, qui insolentiùs erat locutus, è Palatio ejectus, bonis omni- bus & officio privatus; aliis qui accusaverat, longissimè in exilium pulsus: sola quæ Agnum Dei portabat, facta innocentiae ali- enæ, hoc est, ejus cuius symbolum à collo gesta-

gestabat, particeps: postea tamen & ipsa admissum nefas vitamque, Baptismo, consueto, non vindictæ, sed gratiæ genere expiavit.

Aquæ lustralis æquè admirandi effectus fure: Non una, sed ferè omnes, imò & nondum Christianæ has imitatæ, aquâ istâ maculas faciei eâ facilitate abluebant, quasi unguentum esset ad hoc compositum. Nam si quæ nævum aliquem, aut maculam præsertim in facie evasci animadvertisset; hæc continuò ad imaginem Salvatoris properans, ibi se prosternens, cruce aquâ efformatâ tanquam unguento tangebat maculam, quæ illico abstergebatur: mirâ virtute non tam aquæ lustrali, quam fidei fervori communicatâ; & Divinâ bonitate, quod fecerat in primitivâ Ecclesiâ, nunc quoque per signa Infideles erudiente; quibus qui instruerent, præcones veritatis, propiores esse non possent.

Accidit è Christianis unam, coram sacra imagine confidentiùs conqueri, quòd Christus eam, non tanquam filiam, respiceret, quæ tam diu Christiana, ad nullum dignitatis in Palatio officium promoveretur; Putabat licere sibi cum matre filiorum Zebedæi temporalia petere. Sed mox erroris est monita. Vix querelam finierat, cùm cadens in terram similis emortuæ, sensit in facie ardorem, qui in pustulas erumpens eam turpiter fœdavit, atque ægram,

ægram, mense integro, lecto affixit: reliquis exemplum præbens, & ambitionis punitæ, & instituendæ rectius prectionis.

Eunuchi aliquot Regiarum fœminarum Procuratores, quod viderent heras in accipiendis Rosarijs, reliquiarijs, imaginibus, alijsque Christianæ rei adminiculis sibi præferri; cum tamen ipsi prius Baptismum percepissent; non tantum conquesti sunt; sed etiam unanimi consensu se imposterum non ita templum frequentaturos conspirarunt. Verum non tulerunt impunè procaciam: Eadem namque die unus eorum in ignem cadens, ambusto crure quinquaginta dies decubuit; aliis per errorem cum alijs criminosis comprehensus, & confessim crudelissimè cœsus, nec rationem sui dare permisus est; Tertius febri ardente correptus, vix mortem evasit; Quartus toto corpore scabie scaturiente tardissimè convaluit; alijs pro turpi ignaviâ, & inconsulto murmure non absimili pœna subinde plexis.

Majori planè prodigio simile fuit postea, Regno bellis cladibusque perturbato, nonnullas istarum mulierum, Christianæ professio-
nis perseverasse tenacissimas: Aliæ viris in matrimonium collocatae, nihil ideo fi-
dei D e o datæ remiserunt: Aliæ quod nollent nubere, in parentum domo cœli-
bem vitam etiamnum ducunt, Placet Helenæ
memi-

48 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

meminisse, locum omnino inter Christianas pro virtute heroinas promeritæ: Hæc jussu Tartarorum Regis, ad palatium, unde fugerat, vocata, uni ex nobilibus Tartaris dono consignatur, is eam domum jam ducebat. Ubi ad fluvium, qui per atria Regia varijs mæandris discurrit, deuentum fuit; quod putaret (nec vanè) se pro concubina abduci, e ponte præcipitem se in flumen dedit; tamen inde extracta, ob tibiam e casu læsam dimissa est, vel ita voti puritatis vindicandæ compos: domi suæ sibi deinceps & DEO vacavit.

Ex eâdem cognitum postea, quis Regis versus Christianam legem tum animus fuerit. Referebat illa Regem viso libro & vitâ Christi, quam Pater Adamus obtulerat, in aula sua deambulantem interjectis crebro suspirijs, in hæc interdum verba erupisse; & quis hæc audita, quis lecta mihi explicabit? lectione ac sermonibus commotum cœlitus animum testatus. At proh fatales Principum, & fatuæ, si aliorum præterea, certè Sinensium Regum latebræ! Tota apud istos veneratio Majestatis ab abdito est: censentur minus dignè imperare, nisi auferantur extra consuetudinem eorum, quibus imperant: Devs è contra percipi palam, & cognosci amat. Ita neglectam hujus cognoscendi occasionem Rex cæterà rerum maximarum, optimarumq; capacissimus, hoc ipso anno suâ culpâ planè perditus luit. Sunt

Sunt in Regno Chinensium præter innumera oppida muris cincta, urbes frequentissimæ. Inter has dignitate, & amplitudine plerumque majores, & quasi metropoles Provinciarum, ac Regnum, centum quinquaginta novem. Ex his hactenus nulla à perduellibus occupata, aut direpta, quamvis ex alijs plures captæ, aut incensæ: Adhæc quas occupaverant iterum dimiserant, solisq; urbium populationibus ac direptionibus contenti, ut vagi latrones per Imperium grassabantur. Verum anno præsenti, qui decimus tertius erat Regis à suscepto Regno, quo ipso ingressa Chinensium aulam Dei cognitio, ab ejus Principe male neglecta fuit, prædones ad capiendam, & deprædandam urbem eam, animum adjecerunt, ex qua primus familiæ huj^o Imperatoriæ Monarcha Hûm Chù dictus, fuit oriundus. Inde scelestis ab infessa hac civitate animus accrescens, ad Imperium universum occupandum, ut postea dicemus, prorupit: Quo fluctu absorptus Imperator solio excidit, vitamque

infami laqueo infelix
abruptus.

* * *

D

CAPUT

CAPUT VI.

*Rex Methodum Astronomicam à Patribus
traditam approbat.*

Respirare simul res Christianæ, cum Astronomicis laboribus illius gratia suscepit, extra Palatium, ab aspirantibus intus Regij conclavis favoribus cœpit. Erat inter primos Regij Palatij muros Tribunal Mathematicum, quod ex solis Evnuchis constabat, non aliâ de causâ institutum, nisi ut ad observanda cœli phænomena, & Regi nuncianda præstò esset. Hi tametsi cum Patribus palam non concertarent; clanculum tamen, quantum viribus poterant, æmulos eorum, indigenas, in omnibus adjuvabant; & quoniam Rex ijs tanquam domesticis fidebat magis, hinc sequebatur certius, ut illi sæpe falsa referrent, & ab Europæorum consuetudine, & Astronomiâ animum Regis, paulatim amoverent. Non defuit molitionibus ansa. Idola quædam restitui jusserat in Aulam Rex, in cuius atrio instrumenta nuper locata adhuc stabant. Remotæ ob id à sedibus machinæ, non item ab usu; tamen ut usus consequens commendationem, quam antea Patribus pepererant, non firmaret, sed aboleret imposterū, ita eas collocarunt, ut nullaten' arti,

n e

nec cœlo responderent. Contigit Eclipsim Lunæ conspicí, quam cùm jussu Regis deberent observare, id istis quoque instrumentis perpetram locatis fecerunt, renunciaruntque Regi, ea quæ observassent deprehensa ab Europæorum calculo, quem Regi Patres priùs obtulerant, dimidiâ horâ plus minus aberrasse. Suspicatus Rex præteritas observationes, non à machinis, sed à motoribus, sua, ut solent, magnificè venditantibus commendatas: at impostram esse: nunc illorum absentiâ artem deficere, magis defecturam cum tempore. Non nihil ergo dissidens Europæorum novitati, edicto utcunque præfestinato, præcepit à correptione Calendarij cessare, & antiquum, utpote certius, retinere: Lite inter utrumque pendente, cui suffragium attribuendum sit, necdum constare: commune utrique evenire, quòd errant: neutrum pro altero albo calculo adhuc donandum: Vulgata interim præ incompertis, & Patria præ peregrinis excolenda videri. Edictum ad Tribunal Rituum defertur, sed non illico promulgatur. Nam cùm hic Magistratus retro actis annis, sæpiissime observationibus interfuisset, scirètque ad minus tantum aberrare ea instrumenta non posse; fraudem suspicatus tantisper sustinuit, ne præproperè in vulgus sparsa condemnatio, forte compertâ veritate postliminio revocanda; desideratæ circum-

spectionis reum ageret senatum. Dies aliquot fluxerant, jamque appropinquabat proxima Syzygia, quæ ex utriusque majorum siderum copula Ecliptica futura erat: quando deliquij Lunaris, nuper perversè ad Europæorum machinas expensi, in urbem fama erupit. Continuò ijs, quorum intererat, patuit ex motis debito loco instrumentis culpam accidisse: Quare cum Doctore LY PETRO agunt; ut dato libello supplici, Règem de errore admoneat. Sed ab homine perquam timido nihil impetratum, præter metum. In omnem partem anxius, simul veritatis patrocinio, simul Regis offensâ agebatur; suo capiti consultum cupiebat; nec non alienæ famæ: si perspicax ad omnia Imperator fraudem usu deprehenderet, actum de rerum suarum summâ, non imperitè putabat: si convincerent Regiam persuasionem Patres Europæi, actum de Regia existimatione. Ita ad singula ancipiti sanioris consilij suppeditebat nihil. Urget hominem Pater Adamus; solum ut alieno nomini calamum nunc accommodet, rogit; Europæorum patiatur esse supplicium, si fefellerint: non ut agat Patronum peregrinæ scientiæ postulari; sed internuntium: omnia Chinensium placita constitura fortius, si iterato impulsu advenarum errores fuerint concussi: Interim D E O, & bonæ causæ fideret, quæ duo sincrè hoc in actu

actu spectarentur. Trepidantem magis ipso, quod ad Regem destinaverat folio, non nisi optatissimus eventus statim infecutus compo-
suit. Rex suspicionem deponere, jubere altero die Sacerdotes Europæos subire Palatium; machinas aptare capiendis cœli specta-
culis; artis suæ experimentum repetere pla-
cissimus jussit.

Habitâ licentiâ summo manè duobus dunta-
xat stipatus discipulis adest P. Adamus: ingen-
tem turbam Spadonum, tam è Tribunalî Ma-
thematico, quam ex altero, quod Regijs ope-
ribus præst, operientem invenit. Cœlum
erat nubilum, nulla ferè spes serenitatis. U-
num tamen in votis ad D E U M, quo vel exigi
hodie nubes, vel comperendinari Regiam li-
centiam detur, veritati Astronomicæ, ac pri-
mum Christianæ rei subnascentis, tam aperto
commodo. Adfuit enim verò divina liberali-
tas. Advolat à Rege nuntius, moram impe-
perans ingressuris Palatium, dum ipse quiesce-
ret. Expectatâ horâ ferè decimâ, apertis
ostijs introducuntur, nube adhuc Solem tegen-
te. Directurus interim absque Sole machi-
nas, promit acum magneticam Pater Adamus,
quam secum, cum libello instrumentorum usum
declarante, domo attulerat; quærítq; primū, quam
nā stellam in cœlo pro principio observa-
tionis Regij Astronomi nuper adhibuerint?

D 3

cumq

cumque aliam pro alia erroneè usurpasse audiret, adverteretq; instrumenta, ultra quatuor gradus à loco suo dimota, causam mediæ horæ nuper exorbitantis à vero, manifestè demonstravit; objecitque crassam ignorantiam, proprios hominibus in officio adeò delicatorum sensuum, ut remotorum objectorum Regi ministrantibus.

Aderant duo Eunuchi, præfides aliorum Tribunaliū, à Rege ad ea, quæ gerebantur, propriū inspicienda submissi, tum quidem alto, cuius gratiâ adessent, silentio teſti. Ubi Sol affulſit, & ſe annulo Astronomico capiendum dedit, machina ſuo jam loco reſtituta eſt, factumq; idem cum horologio Horizontali. Tum demum unus ex Eunuchis à Rege miſſis, altero ingeniosior, ipſe cum armillâ Solem cœpit, eodemq; momento ab ijs, quos apud Horizontale expectare præceperat, horam quæſivit; quam ubi in quadrante & minuto ei, quam ipſe instrumento obſervabat, respondere audit, amplius contra Mathematicos illos, quam Pater Adamus excandescens: Ecquid, inquit, fruſtra vobis ſtipendia dantur à Rege? vos alit ſine fructu, & tolerat? nomen Mathematicorum circum fertis, artem mentimini. Mox libellum de uſu instrumentorum poſtulat, imò prælegi coram jubet: non quod ipſe legere nesciret; ſed quod æmulos conſutaret acrius: & pa-

& palam faceret, calumnias fuisse, quas Regijs auribus ingessissent. Falli, qui dicerent: Extra Imperij fines nihil scientiae, nihil bonitatis inveniri; adesse, qui praelecta explicare nossent: non imposturas ab istis, sed genuinam doctrinam exhiberi. Demum longe aliter quam antea habitum Patrem Adamum, immo & potionem, quam CHâ vocant, provocatum, ad ostium usque atrij comitatus est. Non procul a loco certaminis audiebat, aspiciebatq; omnia Imperator, non tamen ut videndum se praæberet: nec ignari praesentis Eunuchi, si quæ forte concitatius diceret P. Adamus, nutu oculorum, & manuum gestu innuebant, ut demissius loqueretur; quemadmodum etiam explicatius differere monebant; ubi audiri intelligiq; minus posse credebatur. Vocatos exinde Mathematicos rex acriter reprehendit, exprobrans, quod tanto tempore rem tam facilem non addidicissent, quam momento ferè temporis Europaeus perfecerat. Eosdem insecurâ die Eclipsis Solaris non admisit, sed ipse cum uno atq; altero aliorum Tribunalium Eunuchis deliquium observavit: Cumq; suis oculis inspexisset omnia ad amissim respondisse cœlo, mox contrarium priori edixit: scilicet, ut regula nova quamprimum prælo tradita toto Imperio divulgaretur. Hic enim vero

D 4

æmuli

56 *Initia Expedit Christianæ ad Chinens.*

æmuli tanquam fulmine iecti , quid consilij caperent, quo se verterent ? criminabantur alij, nihil se adhuc de Europæa Astronomia didicisse: nescire artem ex iisdem regulis Ephemerides construendi, quod hanc non sincere docuissent Patres: dissimulasse hos ea maximè, quæ ad rem pertinerent : malitiosè suppressisse , quæ primùm edocenda erant, ad indigenas coram Rege suo tam acerbè confundendos. Necessarium fuit ad hæc jurgia retundenda , eosdem ad prius docendi studium revocare , & petere à Rege , juberet adesse semper aliquem ex majoribus Magistratibus , qui tanquam testis omnia prælecta & gesta , fidelissimè referret; caveretq; ut & indigenæ non subtraherent se doctrinæ novæ , & exteris sua laus de novâ Methodo salva maneret : publicæ autem rei calculi Astronomici desiderata emendatio promoveretur. Ad libellum plenum calumnijs adversus Europæos oblatum nil commotus Rex, rejeclâ Colaorum (qui est supremus Magistratus) sententiâ, quæ æmulis favebat, revocavit edictum de addiscendâ novâ Regulâ, minas graves intentans, si aliter facerent, aut iterum calumnijs ac mendacijs rem agerent. Supererat adversarijs pro se substituere alium, qui profligatam toties causam unus erigeret. Regem, nescio quid , de stellis Australibus interrogasse ferunt (factum hoc occasione globi stel-

stelliferi, in quo appositæ illæ cernebantur, ha-
ctenus Sinis incognitæ) arbitratum, se ansam-
nactos, veterem æmulum Europæorum, no-
mine Cō, nuper aliâ de causa pulsum revocan-
di, petierunt à Rege, communi omnium Ma-
thematicorum suffragio, ut Rex eum Astrono-
miae saltem, cuius in Tribunali nulla haætenuis
pars erat, præficiat, & in curia detineat. Ni-
hil autem consecuti sunt, nisi, ut Rex præcipe-
ret, si nondum abijsset ille, eum quâm citissimè
expellerent; Vir rixosus, si quisquam alias
vafricie & literis satis superq; instructus, o-
mnia sus dequé vertens, non solum Patres,
sed Tribunalituum nuper egregiè exagitave-
rat. Pulsus curiâ adhuc latrabat in omnes,
quos tandem identidem provocando planè in-
se concitavit: Vix ad villam, sive oppidum,
quod gubernandum acceperat, pervenit,
quando de redditibus cum præcessore conten-
dens, ob id à Tribunali Quæsturæ ad Regem
delatus, gratiam & officium, quod vix deli-
baverat, amisit: Reliqui complices sparsim
in curia latitantes, se mutuò, aliosq; libellis
famosis persecuti; demum proditi, novo & se-
vero Regis edicto, omnes in exilium pulsi sunt.

Nec dum desederant animi sententiâ nuper
Regiâ sideratorum. Mathematici, qui huc
usque alijs pugnantibus contenti fuerant mini-
strare arma, ut viderunt, se in numerum disci-
pulorum

pulorum è Magistris recidisse , & exigi quoti-
die abs se doctrinæ pensum , quem olim cæte-
rīs ipsi distribuissent ; pertinaciter , non minus
ac vecordes discipuli , accusare nunc insolent-
iam studiorum Astronomicorum , nunc artis
difficultatem , quæ ab insuetis vix posset perci-
pi , nunc Patribus ipsius artis celandæ dexterit-
atem invidiosè objicere , multa calumniari , at-
que hoc unum moliri , ut , si impedire manda-
tum Regis non liceret , ejus executionem ad
minus retardarent . Præses quoq; Tribunalis ,
vocatis ad se novis discipulis , rusticè insultans
novæ scholæ , monebat , ne spem in exteris &
ignotis hominibus frustra ponerent . Alij alias
machinas commenti , Mahometanis pacto inito
persuaseruut , ut hi suis similia esse , quæ
docebant Europæi , asseverarent ; frustra no-
vam artem introduci , ubi Mahometanorum
per regnum non infrequentium regula , paucis
mutatis omnia suppleret . Vanas præstigias o-
culatus ad omnia Rex discussit . Eosque qui me-
thodum Mahometanam laudarent , nuntiarent
que prope verum accedere , suómet Marte ex-
plorato artificio , confutavit , reprehenso Tri-
bunali Rituum , quòd nonnihil mendacio suf-
fragatum esset ; atq; Eunuchis , qui falsum de-
tulerant , duobus dignitate dejectis ; tertio è
supremis pro collabentibus intercedente , pa-
riter ab eminentiore fastigio depulso .

Maho-

Mahometani interim in Patrum se familiaritatem insinuaverant, adeò, ut unus eorum senior Baptismum peteret, nempe ut ita jacerent rete ante oculos pennatorum. Hoc aditum patefacto, criminantur apud Regem Europæos Mahometanas merces vendere: pro suis opibus Regno obtrudere ea, quæ ex aliorum libris haufissent: Dignaretur demandare, ut partis utriusq; doctrina expendatur: corniculam illico ad nativum carbonem, ab alieno ornatu, quem impunè adsciverat, postliminio reddituram.

Caruit effectu stratagema. Jussus est à Rego Præses Tribunalis Mathematici, sincerè & occultè de toto hoc negotio inquirere. Hic à malevolis non præventus, edictum Regium ad unguem executus, dato libello ad Regem detulit fraudes, & maligna confilia, ac Mahometanos ob turbatam rempublicam literariam castigari enixè petiit, & obtinuit.

Postremus aries, adversùs prosperè stan-tem novam Europæorum in Astronomia tra-denda methodum, discipulos oppugnavit. Jam extra teli jactum erant Magistri. Doctor Pe-trus ad novos honores ascenderat: Patrem A-damum singulari Elogio rex ob impensos re-stituendæ Astronomiæ labores donaverat: offi-cia amborū asseclis opulentiora designabantur.

Voci-

60. *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

Vociferantur itaq; hostes, Regio stipendio fru-
stra consumpto, nihil aut parum discipulos ad-
discere: Nunquam sufficiuros officio suo, qui
tempus incassum transmitterent: Malè erudi-
tioni publicæ postea præficiendos, qui multos
annos edocti pleraq; etiamnum nescirent:
Subiici oportere universos examini apud Tri-
bunal Rituum; ita enim assiduitati præmia, ne-
gligentia pœnas, publico commodo lucrum,
existimationem literis, Regi plausum pro me-
rito accessura. Scopus actionis fuit, Judice
muneribus, si per id tempus fieri posset, excœ-
cato, opprimere innocentiam, & jugulum præ-
ceptorum petere per latus discipulorum. Nec
abfuisset à periculo res; nisi sub idem tempus
suscepto recens officio Præses Tribunalis Ri-
tuum dedisset aliquid novitati suæ; æquitatem
initio præferens, Subjectos examini discipu-
los, uti erat, appositè respondisse, refert; uno
aut altero exceptis, qui quod se experimento
subtraxissent, digni videbantur, qui submove-
rentur à communi cœtu. Addidit sententiæ
clausulam: indigos videri Europæorum æmu-
los, qui imposterum audiantur: expedire, ut
libelli eorum supplices non ultra limen Regiæ
transeant, seditionibus magis, quam publico
emolumento natos.

Ita firmatum haecenus Christianæ religioni
diffeminandæ, tum in Regia, tum extra mu-
ros,

ros, aulæ aditum Regio potissimum favori, & præsidio debuit Chinensis missio. Prudentiæ simul illud Imperatoriæ fuit ; quod licet initio Doctor Paulus , & subinde etiam Doctor Petrus, de observatione siderum, atq; Eclipsum per Europæos rectius factâ admonerent ; tametsi intelligeret Princeps eos vera nunciare ; nihilominus nunquam voluit ad eorumnutum decisionem adversus domesticos præcipitare ; plerumque ut observationib' porro insisterent, quò tandem exactior methodus evaderet , præcipere solitus : Postquam verò ex proprijs observationibus regulam illorum certissimam deprehendit, divulgari eam illico publico emolumento constantissimè voluit , neq; ullis æmulorum machinationibus, neq; ullâ Tribunâlis Rituum dissimulatione , neque aliorum persuasionibus à sententia dimoveri se passus : Simul eodem consilio impulit adverfam partem, ad amplexum doctrinæ, quæ Regi arris- set. Mathematici namq; complures, ex ne- cessitate captantes virtutem , animum appli- cuerunt , quâ Regem præire cernebant ; atque experimento veritatem edoceri ultrò rogantes, ac pleniùs per otium instructi , ita Patribus adhæserunt , ut collatis signis in obstantes postea dimicaverint. Pari felicitate supera- ti, qui aliâ à literis viâ calumniabantur. Non nemo è Magistratu , injuriæ literatorum Prin- cipi

62 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

cipi Confutio illatæ, quod tabulam ejus, ab-
raso nomine tanti viri, combussissent Europæi
Patres, istos apud regem criminatus, peti-
domum illam, in qua exusta fuerat tabula,
quamq; eorum discipuli tunc inhabitabant, ut
facinorosis, eripi. Contempsit insaniam ho-
minis Rex non pictarum imaginum, sed latæ, si
quæ foret, in personam injuriæ, se ultorem esse
professus. Alium quendam è remotissima Fo-
quinensi provincia advolantem, ac libello op-
pugnantem Patres, juxta ac legem Dei, quam
promulgabant; Magistratus, ad quem tales li-
bellos acceptare, regique præsentare perti-
net, cognitâ horum innocentia primùm repulit:
utq; vedit impostorem secundò ac tertio redire,
accepit quidem, sed libello libellum addidit;
quo impudentiam hominis notabat, Regi præ-
sentandum. Rex cognitâ ineptiâ, jussit ho-
minem gradu suo privatum in patriam remitti;
addens acrem reprehensionem, quod stylum
tali materiâ adulteratum non puderet una se-
cum publico omnium risui propinare. Do-
ctori quoq; Petro, doctrina quamvis mutuata,
preium fecit. Non multò post Tartari jam
tertiò irruptionem parantes; ut oppidum, un-
de Petrus erat oriundus, ingressi sunt, re-
gulo qui ducebat sic imperante, ab ejus-
domo vel spoliandâ, vel etiam adeundâ
prohibiti sunt; quod is Calendario reformando
præ

præsset: factumq; postea ut omnibus circum-
conflagrantibus, ipsius amplæ & pulcherrimæ
ædes, plenæ divitijs, ab incendio intactæ ser-
varentur: tantam sibi reverentiam, vel ab ho-
stibus, & ubivis terrarum impetrante Sapientiâ.
Fuerit enim verò felix omen, hæc Tartarorum
tunc doctrinæ Astronomicæ veneratio, quam
sibi videlicet, non multò post plenius deservi-
turam observarent.

CAPUT VII.

*Alijs pro Reipublicæ bono molitionibus præfici-
tur à Rege P. Adamus Schall.*

JAM crebris irruptionibus Tartari Chinensi-
bus, ac præsertim Pequinensi provinciæ in-
festi, circum volabant, interdum prope muros
ipsos regiæ imperterriti. Iturus obviam peri-
culo rex, ac suorum militum pudori, fortè re-
fugientium cum hoste congregari consulere, sta-
tuit tormenta ænea quæ maxima fundere,
quibus hostes à regia deterreret, & arceret lon-
gius: suos quin etiam plures servaret. Me-
mor Doctoris Pauli, qui Europæam Mathesim
ab hisce quoq; artibus commendaverat, misit ad
P. Adamum supremum Tribunalis militiæ Præ-
sidæ, CHIÙ nuncupatum, deditq; in mandatis,
ut priùs de Machinis amicè confabularetur, & si
qui-

64 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

quidem deprehendisset adesse peritiam, tum edictum regium promeret, quo destinata imperabat. Fecit omnino, ut habebat in mandatis Praeses: nihilq; suspicanti P. Adamo, ab incauto, quod quærebat, intelligit: tum editu è sinu proferens tradit; unà se proripiens, faustæ legationis reliqua apud Principem executurus. Reponebat festinanti Pater: hæc se in libris tradita, non in castris; lectione, non usu hausisse. Aliud omnino esse ingenium operi, aliud manum admoveare: Experienciam plurimū in mechanicis profici. Verum ille, in cassum hæc, inquit: hoc solum ago, ut Regis apud te mandata exequar. Nec à sententia dimoveri se passus rex, ubi libello supplici eandem provinciam deprecatus est Pater. Continuò æs, stannum, ferrum, & quicquid necessarium videbatur, subministra ta: adducti mechanici, quotquot desiderati: locus amplissimus attributus; ubi non longè à Palatio commodius Regi liceret suggerere, si quid opus videretur; Eunuchi quoq; adesse, & adjuvare possent. Verum universis ad nutum suppetentibus, postremi non tam de erant, quam incommodabant. Veriti honores patrios in peregrinum hominem devolven dos, nihil non agebant, quo cœptis remora, & fastidium desiderio Regio eveniret. Primū causati tarditatem operum; difficultatem, & pericula

pericula in eorum usu ; sumptuum molem : Deinde cuniculis fraudem promoventes , per submissos pueros millena ferè pondera de metallo suffurati sunt : Per eosdem uni de majoribus tormentis propediem perficiendo , priusquam hujus lævigationi suprema manus impuneretur, immisso per os machinæ globo ferreo, pertinaciter scabro adhuc fundo inhæsuro, moras injecerunt. Verùm ab hac ipsa , quam postremò retuli petulantia seu explodi invidia, seu intonare primùm in Chinis Europæorum fulmina ad commendationem cœperunt. Immissus in focum machinæ pulvis pyrius , ex tormenti ore in terram directo fragor , & male immissus , nec arte aliâ facile revocandus, magno impetu globus erupit. Rex immani machinæ tonitru percusus , illico quid Patri Europæo acciderit , inquirit. Re nuntiatâ, tormentum, ac pulveres inspicere ipse , mirari artem & operam , laudare vehementer ingenium voluit. Trivialia hæc Europæis , miracula deinceps visa sunt Chinensibus , fusoriæ artis in hunc diem ignaris. Admirationi erant conjunctio formæ cum fundo , extractio ferri quod ANIMANS vocatur : machinæ , quibus tam ad immittendam areæ fusionis formam, quam ad extrahendum inde tormentum res agebatur.

Suspexere simul sacros ritus , & cæremonias, quarum in publica hac Christianæ dexteritatis-

E

com-

commendatione, oblivisci omnino non oportebat. Erant haud dubiè Chinenses de more Spiritui ignis inter hæc ignium miracula sacrificaturi. Prævenit superstitionem Pater, & antequam operi manum, & fundendæ machinæ laborem admoveret, imaginem Salvatoris una detulit, erectoq; & ornato Altari impositam, veneratus ipse est superpelliceo & stolâ indutus. Ad hæc operarij flexis coram Domino genibus, adorare jussi, & Divinam operi opem de cœlo precari. Id ipsum Rex futurum suis prædixerat, vetueratq; strenuè, ne impedirent: Non enim, inquietabat, isti Spiritus, quos adoramus, despiciunt; sed tenaciter unum DEVM colunt, ejusq; præcepta custodiunt. Cæterum qui fundendis machinis priùs invidenter, non minùs iniquo oculo explodendis, comprobandisque postea adstiterunt. Viginti initio fusæ sunt, quarum pleræque quadraginta ferè librarum pondus evolverent: Quamvis initio desiderari Rex, ut quæ septuaginta vel octoginta pondo appendentes globos ederent, compararentur. Satis tamen fuit cœpisse à tenuioribus: quamvis & istas admodum gravatè, submissis pro bobus, qui petebantur, mulis in jumenta, deportari extra urbem in campum quadraginta propè stadia excurrentem, per livorem æmolorum contigerit. Capiendo experimento rursus præfecti abs Rege Eunuchi ac milites.

Pars

Pars sincerior successus optimos, ut par erat, laudavit: Pars, quod in toto genere nihil habebret quod improbaret, vexationibus tamen, ac diminutionibus, confictisq; proportionum sibi, ut mentiebantur, non respondentium observationibus, detrahere si quid possent conati sunt. Mitti solebant equites, qui excurrentes globos referrent, notatis spatijs ad amussim factæ præparationis, & onerati tormenti commensurandis. Alijs vera nuntiantibus, fuere qui duos ex majoribus machinis globos in unum locum convolasse, stadijs propè viginti à tormentis disfutum asseverarent. Fraudi larva detracta est; quando adstantibus patuit, duo illa æra grandiora consultò in diversas omnino partes directa, dimittere jactum eodem in termino nequivisse.

Rex tormentorum pulchritudine & commoditate captus, sugerentibus Eunuchis, credit minora quoque, si in castris haberentur, non absimile præstare posse. Annuit igitur quingenta fundi, quæ singula septuaginta librarum pondus non excederent; si periculum adesset, à singulis militibus singula in humeris deferenda & asportanda. Quasi verò Chinenses si (quæ admodum plerumque faciunt) in fugam effusi ruant, hoc se onere prægravari vellent: Evincunt nihilominus Eunuchi: verum ea intentione, quæ deinde patuit, ut publicum consilium privatæ singulorum rei famularetur. Petunt impetrantque

E 2

à Rege,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

à Rege, & quidem impudenter P. Adami nomine, quingenta millia æris, & quadraginta millia stanni; cum fundendis illis machinulis sufficerent quinquaginta millia æris, & quinque millia stanni. Accurrit ad Tribunal ædile Pater, & fraudem detegit alieno nomine Regi ac Magistratibus malignè affusam. Verùm senatu nihil adversus Eunuchos audente, ipsi Imperatori immane furtum, quo innocens ipse perniciose involuebatur demonstrat. Audaciam demiratus Rex, reos causam dicere, pœnamque pro meritis luere præcepit.

Biennio his operibus insudatum est, jussis edito, à Patre Europæo artem ediscere Eunuchis; & mutuis operibus inspiciendis, ultro citroq; vacatum: Donec peste per urbem gransante, labores intercepti sunt; pluribus huic studio invigilantibus intempestivè sublatis. Ex triginta operarijs, qui fundendis minorib' machinis deserviebant, viginti quinq; demortui: quos Eunuchus, collega P. Adami in suscepto negotio, insecutus est. Ex domo Bonziorum, quæ habitationi Patris fuerat assignata, complures alij, atque ex his Bonzij quatuor perierunt, intactis omnino Europæorum singulis. Eunicho à familiaribus omniq; humana ope deferto, ex charitate, atque amplius ex religiosa virtute P. Adamus adstitit, humanâ simul, quacunque poterat, & cælesti ope adjuvans: Indignum

dignum nihilominus Regno DEI expertus fuit: Omnia potius simul crediturum se, quām suæ sectæ adversaturum professus est: Atque ita moriens sepulturâ, in angulum quendam abjetus, diutissimè caruit: infelior quod æternæ salutis spe exciderit.

Nondum absolutis machinis, Rex etiam propugnaculi, more militari construendi, modum & formam petijt. Confecta est è ligno idæa ea magnitudine, quæ proposita, facile partes omnes, quarum operæ pretium esset, exhiberet; quam postea in severiori materia artifex imitaretur. Prototypo delectatus Imperator jussit eos Magistratus, qui militiæ summa cum potestate præerant, Patrem ad certum locum extra muros, deliberandi causâ ubinam talia construi possent, convenire. Cùm eò ventum esset, omnes inspecto ligneo propugnaculo, & perspecta ratione, quâ hujusmodi molibus urbs ipsa ac muri tuto, & facile defendi possent, uno consensu decreverunt ijs uti. Sed & hic nemo alias, præterquam sigulus figulo obstitit. Adducit non multò post Mathematicos quosdam Spado, ex ijs plerosque, quibus inspiciendorum ædificiorum cura demandata est, Interrogat; num incongruum aliquid in hac propugnaculi forma appareat? utque edicant, jubet. Imò vero, inquiunt, periculosa plenum opus alex agitur: Triangularis figura ignis-

D 3

æmula-

70 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

formā æmulatur: cum stellā Martis genuinā habet confessionē: Suspectam protinus esse oportet, & cavendum, ne expugnationi potius quam defensioni urbis proludat. Creditum ex tripo-de vaticinium est; præsertim ab effeminato: continuò itaque inutilem, quam suaderet Pater Europæus, figuram propugnaculi, imò noxiam definit. Tum conticescentibus qui aderant, aliud quadratæ normæ, quod secum attulerat, à quodam è supremo Colaorum Senatu, in musæo excogitatum exemplar propugnaculi promit, & laudatum commendat. Stupide garimenti quamvis nemo suffragaretur, nemo tamen contradixit; cæptumque illico est opus ex triangulo quadratum: cui simile, muris proximè adequitans, cùm vidisset Pater, ad delegatos in hoc negotio conversus; si latro essem, inquit, hoc ipso ex loco urbem intra triduum expugnarem: ostendens quantum olim Reipublicæ profuturum fore, inconsultum prius eorum silentium. Nec vanus augur fuit. Latrones postea murum aggressi sunt hoc ipso ex loco quem digito Pater demonstrārat, & parietinā tribus aditibus perforatā, nullā vel sagittā, vel etiam lapide prohibiti, intra diem tertium urbe potiti sunt, ubi literatus ille Senator inconsultæ suæ loquacitatis, & juvenilis impetū, à latronibus urbem populantibus, pelle & vitâ exutus pænas dedit.

Toto

Toto interim tempore , quo machinæ bellicæ trahebantur , Schola Astronomica , quoniam raro adesse poterat P. Adamus , tanquam corpus sine anima , plurimum refrixit. Quò fadum , ut quidam ex ipsa Patrum Academia , nomine VÂM PEÙ LAI ætate grandævus , & primis Patribus Pantojæ & Sabatino de Ursis , familiariter notus , qui ideo admissus fuerat , ut negotium pristinum urgeret , & reliquis discipulis ad discendum stimulus adderet ; hanc occasionem captans , ipse fibi & nomen & meritum correctionis Ephemeridum usurpare est ausus. Compositis libellis aliquot , quibus eruditio[n]em suam ostentabat , cæpit Tribunali & Regi ipsi , libellos supplices offerre , quæque circa correctionem agenda , inculcare , Præside interim Petro indormiente : adeò , ut re jam propè rursum perturbata ad ipsos Regni Mathematicos denuo provocaretur. Hi tamen jurgiorum pertæsi , & quòd olim hujus ipsius Authoris contentiones oderant , ab eo alienissimi , rogarunt Tribunal Rituum , ut proposito quocunque Planetæ , vel Eclipsis calculo experiri dignaretur , si ad sustentandum hoc munus , quod expetebat , idoneus videretur. Subjicitur examini infelix , & invenitur minus habens , atq; impudentiæ & ambitionis convictus defit , unde non aspirabat , auram captare. Non tamen defuit malitiæ ingenium , quo impugnaret ulterius quos oderat .

Excu-

Excusat publico scripto suam pro Astronomiæ obsequio curam , quam interea suscepisset : Europæum Sacerdotem , dum ad machinas bellicas fundendas assidet , dimisisse visum steriles Astronomiæ campos , adamasse autem rura pinguia artium metallicarum : Consultò illum extrahere curas Ephemeridum , ut honores diuturnos aucupetur : Nunquam finem promissorum fore : Indigenas longè efficacius promptiusq; suæ patriæ semper prospecturos vide-ri. Talia cùm in vulgus spargeret , motus iteratis ab hoste stimulis Pater , promittit reformationis Astronomicæ provinciam se ambitioso homini cessurum , (videlicet Cerbero of-
fam) si eam ipsem non priùs absolverit , ante decimum octavum annum Imperij Príncipis regnantis. Placavit hoc pacto importunum : Qui tamen neutrum , quod promittebatur , in-
columis vidit. Ante decimum octavum siquidem Imperij decepsit : & decimo octavo , qui expectabatur anno , inter squalores carcerum à latronibus Regno potitis , conjectus miser ille Astronomus ingemuit. Imò ab ipsis Regni invasoribus de pecunia solicitatus ; & depositam apud Europæos Patres mentitus ; ubi fraus comperta est , flagris egregiè subjectus est : Ac tum biennio exacto translati Imperij , fractis squalore & cruciatuum mole viribus , triduo postquam Calendarium de Imperantis mandato

evul-

evulgatum est, non supervixit: meritus æquis-
sima fata invidorum; quorum genius est fre-
mere dentibus, & tabescere.

Cæterum quæ firmandæ restitutioni Ephemeridum spes à Magistratibus & Rege affulgebat hactenus, repente, hinc quoque optato fructu caruit. Adeunt Magistratum Indigenæ Astronomi projectis ante pedes Senatorum libris, quos eadem ipsâ de re conscripserant: pollicitationibus item repetitis Europæam omnino methodum secuturos; si modo ipsa Chinensem sanguinem imbiberet: & communis fieret totius Imperij; non singularis audiret duntaxat exterorum: aut denique, si tantisper sustineretur aliquod tempus; donec maturaretur in Chinis aliena traditio; & ubi posteris, non jam amplius adeò recentia, placere cœpissent.

Verum rei Christianæ, qui scopus erat unicus promovendæ, nil servitaram dilationem. hanc, ratuſ Author, toties faventem à Regiâ ventum, per quem velificari tandem toto Imperio Europæus labor posset, invocabat. Jam suo, seu affectu, seu confilio Tribunalium, expedierat Rex tabulam deauratam elogio fidelitatis & meritorum P. Adami Schall incisam, cum altera, quâ legem Dei ab eodem Patre Europæo, divulgatam laudabat. Regium hoc munus postea Amacum, Lusitanorum Empo-

rium, delatum, tantum permovit omnium animos, ut ei passim obviam procedentes, publicam lætitiam explosis æneis tormentis, & omnis generis musico apparatu concinente, demonstrârint. Eam postea Templo Societatis illatam, tanquam Chinensium, DEUM laudantium primitias, & tanquam oblationem novam in terris tanti Monarchæ, loco decenti collocarant.

Sed quod caput erat, quodq; promissis, atq; edictis Rex toties animo conceperat, minime præstitum est. Nihil gratiæ exoptatæ, nihil remunerationis quæsitæ; seu quæ Astronomiæ studium proferrent in lucem; seu quæ artem machinarum bellicarum compensarent, consecutum est: calumnijs Eunuchorum, uti aditus, ita exitus Regiarum aurium, ac voluntatum pertinaciter intersepiantibus. Sæpius quidem, supremo Colaorum Senatore attestante, auditus est plurima in commendationem Patris Europæi, & professionis Christianæ Rex eloqui; quin etiam aliquando Præsidem sumi Tribunalis laudes, quibus Patrem evehebat, intercipientem; quod homo exterus esset, cui non satis nosset an penitus fidendum; illico nihil præterea meritū inspectante & demirante aulâ, exui insignibus quem gerebat Magistratūs, & pro reo ab oculis in carcerem abduci imperavit. Attamen Patris optimi conatus portum nunquam tenuere.

Et

Et fuerunt ex Mathematicis , qui deteriora omni præfigirent ; crederentq; benevolentiam Regis non fore immortalem. Quibus intrepidè reponebat Pater : Bonæ causæ , & intentioni rectæ non omnia semper esse adversatura: adamaturum alium , quod Rex iste fastidiverit: notum esse ; timendos amplius esse Principes , qui plūs aliquando amarunt : Nihil in aulis, quantumcunq; secundis Principibus , ex omni parte esse beatum : certam rerum stabilitatem , & actionum fines glriosos à conspiratione cœli & terræ , DEI & Principis pendere. Dicta probavit eventus in eo, qui successor Imperium occupavit.

CAPUT VIII.

Infami proditione Rex occumbit & Imperium evertitur.

Dum stellarum ordo ad veros calculos in Chinis revocatur , Imperij ejusdem maximi fit convulsio & ruina. Jam olim apud Sinense vulgus sermonibus increbuerat : quod quotiescunq; renovatur Calendarium , Rex qui tunc imperat vel excedat è vita , vel certè privetur Imperio. Quasi verò non constet à quatuor ferè millibus annorum , ex quo primus YAO regnavit , continuâ successione ex pluribus familijs numeratos fuisse ducentos triginta

76 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*
triginta quatuor Reges, usq; ad CHUM CHIUM
ex familia CHIUM ultimum hoc tempore re-
gnantem, & tamen interea Calendarij refor-
mationem ultra septuagies susceptam esse. Qua-
si vero etiam difficile non fuerit, aliquos ex ijs,
qui tunc imperabant, eo ipso tempore vitâ de-
funghi, nec propterea correcti Calendarij causâ
id accidisse: Quasi vero demum plurimi illud
instaurantes, diu postea non supervixerint.
Primus omnium Yao octogesimo primo Imperij
sui anno, Astronomiæ studia aufpicatus, tem-
pora in formam Calendarij redegit; nec ideo
interijt, sed supervixit novendecim annis;
nempe usque ad centesimum sui Imperij. Is
quoq; qui ultimo nunc Ephemerides restituit,
idemq; primus Tartarorum CUEU, quem Cobit-
tam vocant; vixit post hæc annis ferè quin-
decim superstes, & Imperium ad filium trans-
misit. Quia tamen hoc tempore omnia ferè Re-
gna & Provinciæ scatebant novarum rerum
cupidis, ac rebellibus, quos prædones vulgus
nominabat, quòdque ubivis novos Imperatores
acclamari ferret fama, dum calculandis tem-
poribus Rex totus incumberet, segnitem & in-
ertiam interpretati, seu causam pro causa præ-
tendentes, perituri Imperij omen capiebant.
Nec tantummodo privatim hic rumor serpebat,
sed pro axiomate erumpebat in vulgus. Ne
quid ergo piaculi emendationi Astronomicæ a-
sperge-

spergeretur , sive à vaticinio , sive ab eventu ,
continuit illa se inter latebras ; nec dissuadebant
id ipsum rationes aliæ , seq; meliori tempori re-
servavit .

Interea Rex , cui haec tenus perturbationem
Imperij malè celaverant aulici ; aut fictos qui se-
riò circumvolabant , tumultus mentientes ; aut
elevantes quantamcunq; rerum molem , quæ
jugulo impendebat : Tandem fragore armorum
quotidie in oculis & auribus perstrepente ex-
citatus , ad mala avertenda , quamvis serò , to-
tum tamen se convertit .

In vicinia Pro- Rex , qui contra irruptiones
Tartarorum præsidebat , auditâ famâ tormentorum
æneorum , petijt à Rege , ut eò mittere-
tur Mathematicus Europæus (ita P. Adamum
nuncupabant) publicæ rei ibi aliquid emolu-
menti præstiturus : Verùm homo imperitus ,
quòd machinas illas ex nihilo fieri putaret ,
nihil quod ageretur offerens meritò à Patre
desertus est . Excepit reducem amicissimus
Regis , qui quòd in Provincia XANSY , unde
latronibus ad curiam iter patebat , titulo Regio
præsideret , non jam de tormentis solicitus ,
sed de rebellibus , qui propiùs adventare dice-
bantur , retundendis , socium expeditionis suæ
Patrem expetebat . Confenserat postulato
Imperator . Jamq; acquieturum perlibenter apud
hominem fidissimum , subitò aliis supremâ Co-
lai

lai dignitate authoratus, & exercituum Præses
a Rege impetrat: evocatum festinanter; quasi
jam proximus arderet Vcalegon, cui restin-
guendo Europæus Sacerdos sufficeret. Repu-
gnantem privatis ex obstaculis, publicæq;
rei ab uno gerendæ expectatione desperatâ, ra-
puit nihilominus: At explorato rerum statu
Pater, cùm hominem mollibus assuetum ex ur-
be in aciem, ad pugnam in hostes educere non
posset; quod unum rebus bene gerendis ferè
supererat, re nullâ perfectâ mali nuntij bajulus
ad Curiam redijt. Ibi rebus jam collabentibus
saltem ad urbis Regiæ defensionem, ut animum
tandem applicet, Regem monet: Addit modum
& regulas fortificationum, a quibus præsidium
facile & brevi tempore consequi posset: nec o-
mittit quidquam quod perturbatis rebus non
tam humana societas, quam Christiana charitas,
& licentia religiosa suaderi posse permitteret.
Verum Spadones, qui hucusq; Regem præsti-
gijs & fallacijs iuvolverant, nunc quoque in-
summa rerum, sui incurium esse fecerunt: Nec
ignaviâ solùm duce hæc gesta sunt. Aliud e-
rat virus, quo acti Eunuchi Regem præcipitâ-
runt. Semiviri isti passionum suarum, more
sexu cui accedunt, impotentes, non defensio-
nem Principis, sed excidium procurabant:
atq; ut vindictam dudum ante læsi inferrent,

in

in propriam usq; perniciem cum hoste conspi-
rârunt. Causas dirarum paucis accipe.

Antecessor regis itemq; frater , cùm esset
naturâ timidus , & ferè puer ad Imperium as-
sumptus , ita assueverant istiusmodi hominibus
subesse, ut vix pedem absq; eorum nutu move-
ret : Omnibus rem indignè ferentibus , maxi-
mè frater aliquoties Regem animavit, ut jugum
excuteret; ajebatq; sibi habenas Imperij cōcede-
ret: visurum eum quanto magis ipse Rēpubli-
cam , quām Respublica illum foret gubernatu-
ra. Eunuchi hoc minimè ferentes egerunt ut
importunus monitor palatio ejetus , non pos-
set pro libitu germanum muneris commonefa-
cere. Attamen illo septimo Imperij sui anno
morte sublato, sine suffragijs semivirorum in-
fratris humeros, qui modo rebus præerat ,
devolutum est Imperium. Hic enimvero in
Eunuchos inquirens , excussum perditorum ho-
minum malè partam potentiam : Primus pro-
pter plurima, de quibus arguebatur, criminis ,
aliquot millions auri fisco & inquisitioni re-
giæ intulit ; ad hæc cistas quindecim plenas~
unionibus ac gemmis , exceptâ pretiosâ supel-
leculi , Rege potius quām Spadone condignâ :
Hoc pro meritis depilato, nunc hunc , nunc il-
lum divexans , Thesaurum suum Rex perquam
ditavit. Quæ Regiæ tamen indoli semper inna-
scitur clementia , non sustulit omnino hydram,

sed

sed temperavit tantum, non extinxit, sed compescuit. Rebus suis alioquin immortaliter consulturus, si perpetui mali fomenta, indigna hanc commiseratione penitus excidisset. Ab his igitur ad militiæ Præfectos & Belli Duces conversus, eos fovere cœpit: at nimirum brevi favore: Reperit indignos affectu Imperatorio, quos deprehendit timere mortem magis, quam ruinam Reipublicæ. Ergo aversus ab his quoque, ad Legatos exterarum gentium conversus: simul ubi hos muneribus inhiantes, & officio suo magis deesse, quam commodo animadvertisit, supra alias detestatus, quò se veteret non advertit: revolutus ad illos demum, quos antea ab alienaverat. Restituti in thronum Eunuchi rabiem dissimularunt, vindictæ nunquam obliti, nunquam fidi reconciliato, studuerunt mille modis Principem decipere; Palatij thesauros abscondere; annonam militarem seditionibus suscitandis defodere; consilia cum latronibus clam ferere; damna per hos illata contegere; nil de periculo palam imminente admonere; relinquere Principem suo judicio, quocum visus erat antea in homines male feriatos peccasse: Donec tandem ipsas urbis portas attentantibus eas perduellibus, nefarie recluderent, hostemq; primi hostium salutarent.

Erant

Erant in muris urbis Regiæ septuaginta milia millia, qui non sicut in *Cochinchina*, *Tum Cim*, & alibi è plebe assumti gratis militant; sed quibus in singulos menses stipendia, hoc est, pecunia & oriza; pro equis etiam pabulum præbebatur: His præfecti erant tria milia Eunuchorum, soli gubernatione & rerum potiti. Vulgo ferebatur respondisse tum tempora veteri Chinensium vaticinio, quod de futura proditione Regiæ longè antè canebatur; olim tria millia sectorum canum in muris esse discursura: Hanc tamen urbem munitionibus Bellicis abundantem, atque in singulis propè murorum pinnis tormentorum ordine disposito instruētam, quorum metu prædones, maximè recenter fusorum, prout ipsi postea fassi sunt, vehementer tenebantur; nihilominus altero ab adventu hostium die semiviri illi ab anteriori parte recludunt.

Rex tum primùm bis se momento captum; semel à proditoribus Eunuchis; deinde à perduilibus agnoscens, consenso equo, sexcentis duntaxat equitibus comitantibus, recta in frontem urbis, quâ hostis invehebatur incautus incidit. Erumpere tentantem per portam, quæ Ecclesiæ Patrum Societatis proxima est, ipsi illi, qui nobilem prædam in hos casses conjecerant, prohibent. Præteriens itaque ædes Patrum declinat ad alteram. Verùm hic di-

F

splosis

splosis in fugitivum tormentis , quæ ad portæ defensionem constiterant, cogitur infelix Princeps, incassum præsidium aliud circumspiciens, reverti in Regiam ad exitium ultimum.

Repulsus in Palatium , resq; desperatas intuens Reginam conjugem , ut laqueo vitam finiat , hortatur : Filios , quos tres genuerat , ut fugâ , quacunq; possent , se eripiant , monet ; filiam quæ unica erat & nubilis , ne superstes latronum contumeliae pateat, ipse correpto ferro interfectorus , dum illa declinat ictum , recisâ fugientis dexterâ mutilat : Tum consilij planè impos iterum Palatio pedes egreditur , rectâ ad montem , qui à tergo imminet , unde super bellicas machinas noviter fusas coram inspicerat , contendit. Ibi vicissitudinis humanarum rerum egregium futurus deinceps argumentum, constitit : & arrepto pennicillo (quo pro calamis utuntur) in ore chlamydis Regiæ , hunc in sensum , cruore proprio , ut fertur de sinistrâ elicito , sequentia exscripsit (scribebat autem quām elegantissimè) *Multam salutem futuro Imperatori Lìs nuncupato: Enixè rogo Vè hai ugò miu, ne yúm ugò chiù, hoc est ne populo meo noceas , néve Magistratibus meis utaris: Voces Imperatoriæ magnanimitatis , & experientiæ testes , usu ac fortunâ præsenti expressas. Absolutis characteribus excussisque o-*

creis,

creis, ac dejecto regali pileo è trabe porticus ejusdem areæ, fasciâ collo obvolutâ, seipsum suspendit.

Hic exitus fuit Monarchæ toto orbe forte maximi: ingenij, indolisq; bonitate, nemini secundi: Nullo stipante, desertus ab omnibus, ætatis anno trigesimo sexto per suorum impudentiam, suámque priùs imprudentiam usque adeò indigna morte perijt. Una cum illo nomen Imperij TÀ MINÙ hoc est MAGNÆ CLARI-TATIS, postquam stetisset annis ducentis sexaginta sex, totaq; Regia prosapia, quæ octoginta ferè millium censebatur, extincta sunt.

Quamvis patriam religionem Rex nunquam dimiserat, de Christiana tamen optimè semper meritus fuit. Hanc ab Avo Pequini retentam, non sustinuit modò, sed ad maximum quoque subditorum emolumentum laudavit semper, ac fovit; longè plura, ut videbatur, præstitu-rus, nisi violentia tam insperatorum eventuum prævertisset.

Res mira: Mortem Regiam, & genus mor-tis Pequini depictam in pervetusto libro, cum alijs, quæ circa hunc Principem subinde con-tigerunt, Pater Adamus Schall, dudum antequam evenirent, oculis se inspexisse refert. Ex eodem habemus per historias constare, primum olim hujus familiæ Imperatorem.

HUM VÈI , ex Præside Tribunalis Mathematici
LÀI PÔ VEN dicto , rogasse ; quot posteros esset
habiturus in Imperio ? atq; istum oraculo , ne-
scio quo dictante , enunciasse , VEÚ cù CUN: ad
verbum : decem millium filios ac nepotes. Et
profectò postremi duo Reges fratres erant TÁY
CHÀM Imperatoris filij : Nepotes verò ejus qui
dictus erat PÁU LIÈ , quod significat , *decem*
millia , Imperatoris , si quisquam præterea , pa-
cifici , & Imperio per quadraginta octo annos
potiti : cuius etiam ætate Pater Matthæus Ric-
cius in Chinas pervenit.

Sequenti , qui fuit tertius ab adventu , die ,
hostes urbem exercitu trecentorum millium
ingressi sunt. Princeps perduellum recta ad Pa-
latium iter intendit. Cùm nusquam Rex appa-
reret , proposito præmio centum millium aure-
orum , invitavit , qui latitantem proderet.
Nullo , quod acciderat , indicante ; quia nullo
conscio : casu tandem inventus est , miferan-
dum fortunæ ludibrium , Rex funestæ trabi ap-
pensus. Neq; tamen etiam tum reverentiam
& commiserationem impetravit. Primùm
post mensem circiter à Tartaris post exactos
perduelles , rerum potitis ; et si non in sepul-
chro Regum , alio tamen loco , inter Regum
filios , honorificâ sepulturâ donatus est , omni-
bus Magistratibus ad illius tumulum nollent ,
vellent , plorare jussis : Tartaris supra Chinen-
sium

fium indolem officiosioribus, & conditionis humanæ; Regijq; nominis observantioribus; quos tamen isti cæteroquin per innatam superbiam fastuosè despiciunt, brutis, canibûsque accessentes.

Reliqua latronum turba in ædes privatorum defævijt, obvijs quibuscunq; ferro trucidatis; donec à pinnis murorum & urbis portis edicto Ducum promulgatum est, à cædibus ut abstinerent. Credebatur ædes Patrum, quod esset proxima portæ urbis, quam XUR CHÊI MUEÙ vocant, primam debacchantium furiam uno fluctu exceptura. Itaq; de animæ magis tum, quod ultimum superesse videbatur, quam corporis salute sollicitus P. Adamus, jussit famulos omnes unâ secum templum ingredi, & ibi sortem quæcunq; immineret, præstolari. Singulis mortem in momenta opperientibus, salutare edictum Ducum cædem prohibentium, insonuit. Gratijs illico Deo actis, ad excipiendos novos hospites portas pandunt. Horum ingressi non pauci omnia circumspiciunt, lustrantque: à præda tamen abstinuerunt, nisi quod levem tapetem, neq; hunc nisi obtentâ priùs licentia abstulerint. Alterâ die diploma, cuius Authorum diligent inquisitione postea factâ, nusquam Patres deprehendere potuerunt, ideoq; cælitus omnino delapsum credere licuit, ante portam pependit, quo inhibebantur milites Europæo

Sacerdoti quidquam injuriæ inferre. Tenuit destinata mandatum, nullo ne quidem hospitijs gratiâ, prout passim per ædes factitabatur, domum ingredi auso. In publico non ita tutò pergebatur. Qui honestiore amictu indutus prodibat, continuò ab assuetis latrocínio rapiebatur ad catastas, ubi per atrocissima tormenta fateri pecunias, quarum suspicionem suo cultu moverat, cogebatur. Exinde tandem nullus mortalium, præter solos efferatos hospites, in plateis apparuerunt.

Quæ Regi, eadem familiæ Regiæ, Regiisq; prolibus suprema calamitas incubuit. Rege ab aula digresso, Reginæ, conjunx legitima, consilium, quod Rex valefaciens dederat, secuta laqueo vitam abruptit. Gynæceum quaquaversus dilapsum, quæ manus scelestissimorum prædonum effugere potuit, in parentum domos se recepit, quamvis inde postea à Tartaris vi aut fraude rursus abstractum. Reginarum altera post à Tartaris capta; quod abjectâ purpurâ vestem mutasset, & notas melioris fortunæ exuisset, Tartaro cuidam in servam cessit; sed ferre jugum ultrâ non valens, conditionem pristinam prodidit, ac deinceps cum alijs superiorum Regum uxoribus asservata est, attributis Eunuchis, qui desolatæ deservirent.

Filius natu major, qui decimum octavū ætatis agebat annum, dimisso regali amictu, ne agnosceretur,

ficeretur, Tartaro cuidam semet locavit. Hujus barbariem cùm ferre non posset, post paucos menses à barbara domo se subducens, ad Eunuchum sibi, ut rebatur, fidum, divertit: agnus, ad lupum. Diu celare hospitem non ausus spado; ut ad sororem perga, quæ in materni avi domum confugerat, suasit: Ubi pejorem lupo tygridem in sua damna nactus est. Avus quippe, ut aspexit neptem cum nepote collachrymantes in mutuos amplexus ruere, perfidus arrepto baculo juvenem, apud se quoque ignoto cuilibet parem, domo expulit. Ignarus consilij infelix, saltem ut viveret, seipsum prodere coactus est. Pretium ita equidem ingenuæ confessionis, vitam tulit, sed agendam in carcere. Neque hic felici esse licuit, si tamen aliqua ab ergastulo felicitas. Principatum adolescenti Regio nomine deferendum promittebant aliqui. At qui ex summo fastigio deciderat dignatus inferiora, quidquid spondebatur minus imperio, præfervidæ indolis adolescens contemnebat. Adhæc cytharâ & cantu tedium relevans audebat ipsos, quorum indulgentia vivebat, Tartaros lacefere convicijs; atque ita sensim supremam manum conjuratæ adversum se calamitatis provocare. Jam pluribus, quæ præferret innotuerat. Prodebat Regis filium navi in corpore oī observati, detesti ite ac descripti per illū in aulâ receps' cæteris incogniti.

F 4

Digito

Digito Principem designabant paterni Duces, ac milites. Solus, quamvis à dictatis exhibitisq; Ielectionibus apertè convinceretur, pernegabat togatus quondam Magister. Nimirum itaque palam agnitus timendumque propterea, ne con spirationum segetem faceret, tollendum è medio, quando insuper Tartaros rerum dominos odisset, judicarunt. Obtruncando quadraginta quà militum, quà Magistratum præfecti Procerésque eadem de familia additi: ne saltem moreretur incomitatus, qui præter conditionem nascendi aliquamdiu vivere erat compulsus sine satellitio. Fratrum major natu Nanquinum elapsus, non dispari exitu à consanguineo, eo loci Imperij nomen usurpante, gladio peremptus occubuit: Exaggerante tyrannidem cognato sanguine, cui barbaries propè ipsa in minore fratre, si moderator maluisset esse, pepercisset.

Opinione melius cum Patribus actum est. Post triduum duo ex indigenis antea Tribunaliū & Magistratū ministri (quorum pleriq; latronibus dominorum quondam suorum latebras, pretio conducti recludebant) domum ingressi, continuò secum P. Adamum ire jubent; fratrem latronum Principis imperare, quin invitare in suas ædes. Si ita est, inquit Pater, ecce collum & manus: ubi vincula? novi etenim non istud invitandi, sed alligandi & trahendi

hendi tempus esse : Nil ultra molientibus ter-
tius supervenit , & Patrem cum honore evoca-
tum asseverat, ac sequi è vestigio mandat. Se-
quitur præeuntem ille : cùm ad ostia Palati
ventum , plurimam similium apparitorum
turbam , & latronum assecas aspicit manibus
plausum dantes , ac viros mutuo congratulari
iteratis vocibus : Eja , DEI legis Pater adest.
Facilè sibi persuasit Pater, applausum hunc non
nisi speratas dívitias ac prædam aucupari : op-
periri illos hominem divitem , pretiosarum re-
rum possessorem. Præter harpyarum tamen
spem cùm in atrium primum , ubi è Magistratu
plurimi tormentis subjacebant, deductus esset :
& hi tanquam extero compatiéntes mœrorem
capite innuissent ; atq; ita de societate proximè
futura, ut ominabantur, condoluisserent ; DEus
aliter cor Barbari immutasse visus est. Nihil
præter officia , & affectum benevolentia , ac
protectionis promissam securitatem minimè
tum cogitata accepit. Imò comædas mulier-
culas , quas audiebat repellens , Patrique ob-
viam procurrens, manu prehensum introduxit,
& CHIâ , ac vino propinato invitavit : quin-
imò mensam ponere , unâ discubituro jussit.
Gratijs actis Pater successu lætus , nec tamen
periculo immorari , uti neq; perdit hominis
consuetudini assuescere gestiens, rogat, ut si do-
mum se dimissurus esset, ante noctem dimitte-

ret; alioquin cum reis, quorum misericordiā tangeretur, pernoctaturum. Inspectabant hæc amaro animo, qui Patrem adduxerant, & genibus nixi officia præstata, præter expectationem, contemplabantur: cūmq; cernerent ij quoque, qui præ foribus prædam præstolabantur, liberum, & cum honore dimitti, fremen-tes, digitosq; dentibus atterentes, insanam rabiem palam testabantur; nemine tamen, non invitato, ab eo die, vel ingredi domum auso, vel domesticum lacefere.

Major fuit, & dignissima per hos tumultus Christianorum cura, qui alijs ædibus distinguebantur. Pequino abeunte missionis superiore relictus Deo ac fortunæ perstitit in arena P. Adamus Schall; pluribúsq; oblatis atroci calamitati subducendi sese occasionibus, prætulit boni pastoris officium, nunquam luculentius qualibet securitate, quam in luporum occursu. Quantum licebat nunc hos, nunc illos frequen-tans nullibi non hospitantem calamitatem opportunis consolationibus attemperabat: erectos piâ in Deum fiduciâ firmabat; spebus cœlestium subsidiorum, nunquam defuturis, sincerè Deum exorantibus, implebat.

Profecit assidua exhortatio, ac sollicita Patris providentia, ut aspirante cælitus gratiâ, nemo per colluviem illam hominum, tunc uni-versa susque deque miscentium sit gravius pas-sus:

sus: nulla imbecillioris quamvis, ut sexus, sic plerumque & mentis, ethnicas mulieres imitata violentas sibi manus in ea desperatione rerum intulerit: nulla dedecus quæsierit, aut perpetua sit ullum.

Erant in domo Christiani cujusdam satis amplâ & commodâ, quadraginta quatuor mulieres, atque ex ijs comptiores juvenculæ à tempestate sœvientis juxta, ac de more lascivientis immanitatis subductæ: Pro his solicite DÆUM precati boni omnes cælitus defensas servavere. Quadam vice violenter in domum irrumpere destinaverant nonnulli: cùm sibi visi sunt videre binos juvenes præ foribus nodosis fustibus armatos, vim meditantibus minitari. Major humano, efficaciorque ad motum vultus, metum incussum audaciæ, & destinata repressit impudentiæ. Aliâ vice cùm Barbarorum aliquot ædes illas subijssent, mulieres omnes ad sacrarium Divæ Virginis, ubi Missæ alias celebrantur confugerant: cùm illi cubicula omnia recludentes, & introspicientes, hoc unum quo delitescebant istæ non inspexerunt, sed nec aperuerunt quidem, demirantes plurimum, quomodo in tam ampla domo nulla esset fæmina. Rursus alij hospitia sibi atque ædes quæsifuri, alijs per eandem plateam jam insessis, occupare hanc decreverant; sed in fronte ædium, legerunt diploma, repente ibi tunc, nesci-

92 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*
nescitur quâ manu, appensum, quo asserebatur
domum hanc hospites jam habere sufficientes;
proinde nemo temere ingredi præsumeret: Ne-
que his absimilia alibi contigere, quibus non
exigua DEI circa suos providentia fuit com-
mendata.

CAPUT IX.

*Latro Imperij invasor pellitur ab auxiliatoribus
Tartaris. Pequinum spoliatur &
incenditur.*

Interregnum totos triginta dies tenuit, qui-
bus latrones curiam infederunt, eamque cum
urbe opulentissimâ deprædati sunt. Primi tum
vela capiendo novo vento explicuerunt Ma-
thematici, arbitrantes, Cynosuram sibi tum-
hac in tempestate affulsiſſe. Ut primū tyran-
nus urbem ingressus est, Calendarium sequen-
tis anni; quod jam ante id tempus de more,
Regis nomine, ad Provincias pro exemplari
missum fuerat; denuo, omisso tantum amissi
Regis nomine, novo Principi offerunt; ut no-
vo nomine in tabulas Astronomicas relato, nou-
um Imperium, cum Astris cœli consulatum
proximè inituris auspicaretur. Postulabant
præterea ut Regio throno in potestatem reda-
cto inaugurationi suæ in Imperatorem diem
ab ipsis delectam acciperet. Annuit ille nomi-
ni suo in tabulas referendo: sed inaugurationis
diem

diem uti different præcepit. Causam dilatationis eam fuisse existimarunt nōnulli, quod omnino sibi tyrannus sedem Regiam putaret, in qua quoties sedisset, semper gravedine & dolore capitis correptus, ab alieno, & nefariè invaso abs se folio in terram defluere, quasi meritus præcipitum, prodigiosè cogeretur. Adjunt humi quoque sedentem, despicibili & ridendo aspectu, circumstantiū oculis simio propiorem, quām homini visum esse. Credibile est, voluisse ante suscepta Regni insignia pacare imperium, vicinōsque demortui Regis Duces, futuros ceteroquin æmulos debellare prius: ne citius forte dimitteret nondum stabilitam undique potestatem, quām arripuisset. Itaque Orientem versus ad fines Imperij expeditiōnem suscipit, adversus fortissimos Duces ad Tartarorum irruptiones impediendas pro Regno excubantes; quos scilicet proditioni ac sceleri suo minimè suffragatuos non vanus augur credidit. Raptis eō secum Regijs exercitibus, qui ad tyrannum deflexerant, additīsq; ē socijs hactenus sui latrocinij ducentis millibus, cæteris ad carnificinam in urbe exercendam subsistere jussis evolavit.

Incurrit hīc proditio scopulum, ad quem allisa naufragaret. Septuaginta leucis à Regia Urbe finitimam adversus Tartaros Useū QUAY veteranus uti Dux, ita Regi suo fidissimus cum valido

94 *Initia Expedit Christianæ ad Chinens.*

valido præsidio propugnabat. Simul ad illum obterendum Regni carnifex; ac fama orbitatis patriæ post amissum regem, & expilatam Regiam pervenit. Nihil idcirco ille perterritus, aut non illatus maculam fidei, quam Regi suo quondam juraverat; supremum hoc Reipublicæ labenti officium impendere statuit, atq; operari armatus latronein. Clasum mœnibus arte primùm expugnandum suscepit Latro. Parentem illius secum in castra delatum, ante muros statuit, comminatus supplicijs immanissimis hunc exercere, nisi filius traditione urbis fideq; sibi juratâ pro genitore deprecaretur. Ubi quæ gerebantur à muro vir fortissimus prospexit, & atroces minas Tyranni proprius intellexit, invictâ virtute, pronus illico in terram adoravit, deprecatus veniam à Patre, cuius ad mortem, Reipublicæ causâ, non suâ sponte, futurus esset administer: plus se Regi ac Regno, quam progenitoribus debere: Vitam equidem beneficium esse, quod unicum conferri nunc posset à latrone, sed in honoram illam æternum fore, si cum nefario hoste conspiraret. Constantiam filij nihil animo motus collaudavit Pater, & acerbissimis tormentis excruciatus interiit; ulturus in filio superstite suam & Imperij injuriam.

Filius ex paterna cæde animatus amplius, unde exordiri vindictam, unde latroni & paricidæ

ricidæ occurrere adversum posset, circumspicit. Domesticis diffisus virib', quod prorsus impares numerosum hostem desperarent frangere, externas advocat. Jam nuper Tartarorum Rex pacisci cum Chinensibus cæperat: & ab incursionibus solitis alternâ fortunâ fessus absistere. Injecta per pacis conditiones mentio latronum fuerat, & conventum à partibus, ut Tartari Chinensibus ad exigendos Imperio latrones commodarent militem: Chinenses Tartaris, quæ prætendebant commercia, per Regnum indulgerent; & terras leucarum ferè centum in longitudinem Tartarico quondam Imperio ademptas à Chinensibus, nunc magna ex parte receptas armis, planè restitutas sceptro Tartarico vellent.

Festinatis nuntijs Tartarus deploratæ viciniæ factus conscius, unâ fœderis subnati, ac promissorum memor, promittit rogatas suppétias, & multis millibus stipatus, socio jam Regno laboranti consulturus advolat. Primum obsidio arætæ urbis, occurrebat solvenda. Erat Tartarus universis adversi exercitū simul invadendis copijs longè inferior; proinde dividendum sibi hostem prudenter ratus; intacto, qui ad muros desidebant, peditatu, Equitatum potiori ex parte ipse Eques invadit. Impetum hunc campestrem, latronum acies insidijs potius assueta, quām aperto Marti, diu ferre non potuit: Primus fugæ initium.

Cory-

Coryphaeus scelerum, tyrannus dedit. Effusam exinde fugam prosecutus incredibili cum strage Tartarus, eodem itinere ac propè tempore urbem Regiam cum fugientibus tenuit. Reliqui ad infringenda peditatùs, urbem obsidentis, molimina relicti, hunc ipsum Equite ac Duce destitutum, ut plurimùm Equites ipsi, una inuolantes proriverunt, centum ferè milibus istorum duntaxat interemptis.

Latro Regiam, quam non multò antè profanaverat, ingressus: cùm & firmissimis muris circumdatam, copiosòque præsidio munitam; tormentis quoque, & armis ac commeatu instructissimam haberet; ut obsidionem quantumvis diuturnam, sustinere posset; causæ tamen suæ diffisus (quippe malorum animus semper est pavidus) cæptam fugam prosequi quād. subsistere maluit: Itaque ipso, quo urbem ingressus die, moram non sustinens, iter versūs XENSY Provinciam, unde priùs advenerat, arripuit; commilitonibus, antequam urbe digredetur, præcipiens, ut Regiam cum totâ urbe incenderent. Verùm hi, vel quia tantæ urbi incendendæ essent impares, vel quod viderent se paßim ab incolis respirantibus cædi; missis post tyrannum, qui suppetias postularent, cùm non sufficerent demandatæ expeditioni, continuerunt se tantisper dum socios acciperent. Ex copijs in subsidium à latrone sub-

missis , mille aliquot non longè à mænibus ob-
viam facti Tartaris , ad unum omnes concisi
sunt.

Justo interea exercitu comparato Tartari post-
quam palantes extra urbem dierum aliquot spa-
tio hostes quâquâ versùm dispersissent, in Præ-
toriam horum stationem , XENSY , Provin-
ciam eodem fluctu , quo abrepti fugiebant illi,
procurentes inde eos expulerunt; & fugientem
Ducem exutumque milite longius ad interne-
cionem usque sunt insecuri. Fama tulit tyranni
sermonibus evulgata : Nunquam tyrannum
in animum induxisse totam evertere Monar-
chiam : Pequinum tantummodo advenisse , ut
Magistratus , tam literarios , quam militares ,
insolentius haec tenus suâ potestate usos , pro
merito plechteret ; & hâc re demum perfectâ jus
Imperatori legitimo sartum testumque , quod
miserè accusum ab ijs doleret , in integrum re-
stitueret. Sperari hoc equidem ab audaci po-
tuit , non credi.

Interea Tartaris tyrannum Regno exigen-
tibus antequam de eo planè profligato, nuncius
adesset , decem integros dies populatio Regiæ
ac postea urbis omni præsidio destitutæ confa-
gratio tenuit. Exhauriri penitus thesaurum
Regium atque in XENSY comportari ter mille
Equites ab illo , dum discederet , jussi sunt.
Mandatum cuilibet ut ignibus , quâ posset urbi
infectis ,

G

injectis, quingentos secū aureos thesauro efferret, ac loco constituto reducem ab insectatione Tartarorum, quam frangendam putaverat, primipilum præstolaretur. Compertum tamen est per eos dies, etiam ab iteratō gazam involantibus, vix dum vigesimam quintam pecuniæ partem, quæ intra Palatum asservabatur, sublatam fuisse; intactā omnino eā, quæ in publicis ærarijs per urbem servabatur. Preiosæ supæleætilis direptæ ea copia fuit; ut ad terminos usque Provinciæ Pequinensis (decem dierum iter est) totum spacium holoferico, & omnis generis pictæ vestis, ac multicoloris quem fugientes abjecerant, apparatu conformatum fuerit. Incredibile, nisi qui oculis hæc & auribus propior accepit, annotasset. Tam nobilē urbis opulentissimæ, quantum licuit expiatæ, prædam, Tartari postea rerum Domini exactis à XENSY loco natali, ac Regiâ tyranno recens destinatâ perduellibus, sunt consecuti.

XENSY Provincia (Regnum potius amplissimum) una ex maximis Sinensis Imperij, distat à Regia Pequinensi versùs Africum leucis plus minus trecentis: Ipsa autem deinceps rectâ ad Favonium porrigitur leucis adhuc trecentis: Lata à Septentrione in Austrum leucas ducentas viginti. Totius Provinciæ caput, SÍGNAÙ fù dicitur; ubi triennium totum Pater Adamus commoratus fuit olim, antequam ad

ad res Astronomicas Pequinum evocaretur, rem Christianam ubi post P. Nicolaum Trigautum, qui primus eō venerat, promovens. Subiectas habet urbes præter oppida murata, & pagorum multitudinem, triginta sex. Reliquæ Metropoles, quæ præterea septem sunt, pariter exultæ, satis supérq; prædonis ingluviem, si satis avaro esset quod habet, satiassent. Sed proclive fuit spolijs amplissimi regni assuetum regna insuper integra sitire. Post despoliationem faces incendiariæ Pequino impenderunt. Christiani & literati aliquot, qui secundæ Latronum fortunæ adhæserant, destinatarum flamarum consij, & Tartarorum Imperium ponè secuturum exosi, impensè hortabantur Europæorum asseclas, ac primùm Patrem Adamum, ut dimissis omnibus egrederentur, Trojam, cuius bustum jam à tergo sequeretur: Nihil defuturum pollicebantur inter amicos: loci mutationem fore, non animorum. Sequeretur oves Pastor quibus assueverat: non expectaret ignotas, immò indomabiles: Translato Imperio ab urbe Pequinensi, religionem quoq; jussam exulare: Alibi utilius posse reflorescere, quod modò luctuosè hīc exaruerit. Tergiversantem, & majoris turbæ, quæ desereretur, commiseratione retrahendum à fuga, viro insuper dignissimo è suis Vicù cognominato, Tyranno ipsi Patris ac Confiliarij loco habito, anxiè

G 2 com-

commendant. Enimvero persuasus iste , ac persuasurus equum & famulum mittit honoris specie abducturus vel invitum. Dum tenet altercatio invitantem inter & renitentem, ultrice Nemesi flagitiosos intus monente , famulus saluti suæ prospiciens , relicto Patre , seq; & equum abstulit.

Simul ab urbe discesserunt perduelles , simul ab aula per incendiarios exorsæ flammæ. Quasi dato signo è Regia ad conflagrationem , primum urbis portæ pulcherrimis operibus supra muros elevatæ , deinde Magnatum ædes , postremò domus reliquæ illuxerunt. Adhibitus pulvis pyrius momento ferè temporis universa incendit. Placet solius Regiæ jacturam apponere , quando plurima essent, quæ tunc consumpta absq; exaggeratione defleri possent. Initebatur illa columnis septuaginta duabus: harum singulæ basibus ex marmore per quodlibet latus cubitorum decem , altis cubitos quinque insidebat : Quod eminebat de basibus (plurimum quippe terrâ abscondebantur) ad excipiendo columnas in ambitum , ita aptatum erat & circumscripsum , ut per exiguum supereffet ex superficie basis , quod ambitus incumbentis columnæ non occuparet. Ex quo colligi potest vastitas & proportio columnarum , quæ , quod per maxima esset , non poterant illæ , nisi ex conjunctis trabibus , quas Provincia Sù CHI-
ucù

ucù hinc ad NOSO-LYBICUM excurrens quingentis & amplius leucis subministraverat , fabricari. Non utuntur Chinenses lapide ad substructiones & ædificia eminentia : sed compactas trabes circulis sive fascijs ferreis colligant, ad modum quo mali navium grandium construuntur : tum vernice Chinensi compactas lævigant , totas demum auro obducunt, ad eximium fulgorem intuentibus. Pavimentum vario & picto marmore constratum , trabes ad proportionem columnarum ingentes, & deauratæ mirâ varietate distinguebant. His magnæ molis tectum , & ipsum tegulis aureo colore fulgentibus imminebat. Cætera omnia Palatij ornamenta eâdem arte ac luce fulgebant. Ubi exustis columnis ac fulcris subtractis moles hæc corruit , fragor editus est tantus , qui ad decem stadiorum spatum distinctissimè auditus excurrerit. Dum flagrat latrocinio & igne urbs amplissima, quis credat Europæorum diversorum ab utroq; exitio fore immune ? Redeuntem è domesticis ad ædes famulum , tres prædonum insecuri , unâ domum intrant ; blandis tamen paucisq; salutati , & exire rogati à Patre Adamo , persuadentur ædes dimittere intactas. Dum exiguntur isti , alij per posticum effracto muro irrumpunt : Ad hos etiam Pater : Eja ! inquit , alienas domos hâc industriâ ingredi mos militum non est , sed latronum ; cavete

G 3

hanc

hanc notam Provinciæ vestræ hinc receden-
tes inurere , quòd hominum perditorum more
audeatis tam atrocia præter humanitatem. Mi-
rum ! Nil opposentes per easdem rimas , quâ
fuerant ingressi, è vestigio erumpunt. Adver-
sus ignem, cùm nulla valeret eloquentia, alia ,
quæ hospitem importunum arcerent, subsidia
procurata sunt. Cereis Agnis Dei res gesta ,
ac Numinis auxilio implorato, singuli singulis
tectis injecti. Ardebat in orbem vicinorum
omnium ædes , nec dubium erat Patrum domi-
ciliū eodem mox incendio involvendum :
Famuli saluti quisq; suæ prospicientes, quâ data
portâ effusi, quò spes ferebat, improvidi vag-
bantur : Soli duo cum P. Adamo perstiterunt.
Addiderunt se istis non multò pòst complures è
viciniâ, qui, quòd prohibente flammâ domûs
ostio exire non possent per aversam partem
ad etiamnum intactos diverterunt quæsitiuri sa-
lutem . Horum unus sagittam collo infixam;
alter brachium tormenti globo fœdè laceratum
secum attulit: Christianus hic ab annis aliquot
non confessus, pœnam hanc supinæ suæ negli-
gentiæ adscripsit ; uterq; balsamo , quâ potuit
arte juvari , curatus est. Suspicatus interea
Pater Adamus quod erat, nonnullos è vicinis in
hac desperatione more patrio sibi mortem ne-
fariè illatueros , proximas ædes nondum
Vulcano sacras petit ; ubi in recondito

con-

conclavi septem viros ac mulieres laqueis collo-
insertis pendere reperit. Duo , dum adhuc
palpitarent , resectis laqueis vitæ redditi , atq;
ad cæteros , ut recrearentur , transmissi.

Verùm crudeli elemento visus fuisse imma-
nior latro : quibus ignis parcebat , ipse jam de-
dignabatur ignoscere . A muro , cui Patrum
ædes erant proximæ , prospiciebant incen-
diarij , solas illas reliquis omnibus circumfla-
grantibus intactas . Quocirca multis in eas tor-
mentis displosis iteratâ voce inclamabant so-
cijs , ut Templum DEI tandem incenderent .
Fecere quod poterant ; sed non perfecere .
Miram sacrarum rerum virtutem : Septies
ignem injici in eam partem domûs , quæ plateæ
adhæret , Pater Adamus oculis coram aspe-
xit ; at , ubi flammarum arida concepisset , septies
quoque suâ sponte extinctos ignes . Amplius
istud portento simile ; quod è vicinâ urbis por-
tâ tantus ardor in has ædes incubuerit ; ut ejus
in atrijs nemo posset consistere , titionibus atq;
carbonibus undequaque constratis ; ipsis quoq;
quæ ad faciendam umbram ibi fuerant pfan-
tatæ arboribus , per æstum desiccatis folijs pro-
viore hyemem præsentantibus . Neque ta-
men hoc cremore adjutus ignis , quem injec-
rant , extinctus est . Ursurunt incendium
latrones comportatâ ad ostium magna-
famentorum strue storeis obvolutâ ac

ac succensâ ; At sereno & placido cælo, repente ventus exortus, inflammata struem in sublime extulit, atque per passus supra quinquaginta deportavit ad fanum Idolorum, totumque illud delubrum impietatis, nequidquam repugnantibus, qui servare moliebantur, delavit : Vero DEO jam tum præparante aream illam novæ Ecclesiæ, sibi postea eodem in loco ædificandæ.

Labores quoque Mathematici, Divinæ prvidentiæ cordi fuerunt : quibus scilicet ad promovendum Divinum cultum, opportunis hætenuis instrumentis, gravissimum fuisse Patres spoliari. Conduxerat in vicinis ædibus cubicula tria Pater Adamus domui contigua. In eorum bina tabulas omnes librorum Mathematicorum, quibus more Chinensium omnia inciduntur, suásque operas; quòd multæ essent, & domestica plurimùm cubicula occuparent, intulerat, vacuo relicto tertio, quod sub eodem tecto, nullo interceptum pariete, omnino pervium cæteris cohærébat : Ignis proximi vehementia tertium hoc tantummodo cubiculum conflagravit, adeò prodigiosè avulsum à duabus reliquis, quasi cultro foret abscissum, ut arte non posset exactius auferri : Flammâ interim lambente murorum aliquot siccissimas tabulas ligneas, nullam earum tamen vel unicâ litterarum læsâ, destruente. Erexit postea animum.

num Patris Adami hæc in mathematicas artes, ac præfertim Calendarij Astronomici favorem ignis reverentia ; ut quamvis ab eo animum despōndisset ; ex hujus tamen tam prodigiosè servati cura majus aliquod olim Christianæ rei emolumentum deinceps speraret.

A tergo istarum ædium domus erat satis ampla , quæ idcirco non tota habitabatur, quod optaverat Pater Adamus ut extrema ejus pars ædibus Patrum , quæ admodum angustæ erant, amplificandis servaretur. Ignis ergo priore aulâ cum adjectis cubiculis ad solum usq; absuntâ , cum ad postremum , de quo meminimus , atrium pervenisset , ac tigna aliquot cubiculorum incendisset ; reliquo tantum adiunctionis vestigio , nec in aridam materiam ultra defæviens , nullo ferente auxilium emortuus , reliquis conclavibus pepercit.

Nocte insequente , ad quietem tantisper digressis omnibus , ingenti fragore domus tota concutitur , tectumque omne , atque atria fragmentis tegularum . Fragorem & ruinas intulit accensus pulvis pyrius , qui à fronte domus servabatur in muro , atq; ex vicino æstu ignem conceperat , & in ædes Patrum , quia proximorum , hâc tempestate detonuit : providente etiamnum DEO ; ne quos inter multiplicia pericula hactenus servasset , uno momento hæc procella contereret.

Altera ac sequentibus diebus ijs qui serviebant, paulatim reversis, domum verrere, quæ dejecta componere, hisque ipsis murorum aperturas ne latronibus aditus patere, claudere placuit. Die tamen tertiam majus; quia inopinato periculum incubuit: Urbani ipsi ac **Cives** agmine facto domum vallant; jamque oppugnare aggressi, primam portam machinis impetunt; hac collabente in alteram vim parant. Alij simul tecta conscendere, lanceis, ac fustibus, prout cuivis furor arma ministraverat, malum moliri. Non assequebatur scopum improvisæ furiæ Pater Adamus. Varia conjectans, secumque, quid facto opus, deliberans audaciā vim frangere, aut differre statuit. Noverat Chinensium ingenium; quorum impetus virum; progressus fœminam monstrat.

Itaq; è domesticis quendam instructum acinace Japonico præ foribus constituit; seu terrori futurum adversus furibundos, seu defensioni. Ipse barbā venerandus in portā occurrit. Ad conspectum viri resedit furor. Tum excusantes audaciam, latrones abs se inquiri vociferati sunt. Sed quandoquidem recepti in domum nulli eorum videbentur profinus recessuros se; ac dicto citius abjerunt omnes. Constitit postea **Coryphæos** istorū fuisse duos fratres qui, quod ante menses aliquot pecuniā à P. Adamo mutuā petiissent, nec impetrassent, hanc, ut

interpretabantur, injuriam ulcisci, & vitolare, quod optabant, paratos nunc advenisse: Actos impotentiâ vindictæ, de more, etiam in communi calamitate se ipsam negligentis, tantummodo ut alteri, quem odit, noceat.

Absque injuriâ cogitari simul potuit æmolorum invidiam, quâ Europæos literati indigenæ aliique complures insequuntur, solum item hujus conjurationis fuisse: quod neminem in communi calamitate vellent esse felicem; minus illum, cui nunquam serio favissent. Et verò fatis intelligi nunquam potuit, unde Pequinis tanto æstu decertatum sit contra Patres, ob suscepitam Astronomiæ restitutionem (quam rem opportunitissimam fini Divinæ legis promovendæ, & Societatis instituto propriam præ occupationibus alijs hîc terrarum delegerant) cum tamen alibi per hoc imperium, atque in urbibus dignitate ac literis æquè florentibus ijdem summo in pretio eâdem, ex Astrorum ac cœli scientiæ causâ semper fuerint. Post persecutionem quæ Patribus initio in Regnum ingressis incubuit, quâ Pater Alphonsus Vanchoni flagellis cæsus, reliqui Pequinenses Socij Regno ejecti sunt, raris tempestatibus aëta fuit Christianæ; quamvis catalogus librorum Mathematorum, & instrumenta artis à Patre Nicolao Trigautio & Patre Adamo Schall, confecta in

XENSY

XENSY Provincia fuerint evulgata , quin etiam Pequinum translata . Licuit tum ut ipsi narrant, cuilibet sub ficu, & sub vite sua securum degere . Incredibile est quanta cum humanitate Patrem Adamum , postea Pequinum evocatum Xensienses prosecuti sint Magistratus Provinciæ & Gubernatores urbis in quâ hæserat , certatim advolantes gratulabantur : non contenti lecticam, quâ deveheretur, viaticum & jumenta ministrâsse , ipsi quoque discedentem honoris gratiâ inter faustas acclamations deducebant ad stadia aliquot comitati. At ubi in Regia res geri cœpta est , momentò exarsit incendium & pertinax in exitium æmulatio. Valuit tamen hic ipse livor, & consecuta exinde inseſtatio literatorum Pequinensium ad rei Christianæ augmentum . Divulgabatur Patrum nomen toto imperio ; felix Astronomicalrum operarum successus, æmolorum profligatio, Regia encomia, per Provincias laudata instaurati Calendarij novitas omniū ore celebribatur : Ipsi indigenæ melioris animi , chrijs atque orationibus in lucem editis probabant glorioſos pro Republica labores suscepitos . Atque his tanquam venis deferebatur è corde Dei Præconum doctrinæ sanioris sanguis, ac spiritus , fœcundandis quaquaversum per vastissimum imperium quotidie subnascentibus germinibus, & augendo firmandoque populo nominis Christiani.

Satis

Satis copiosa Ecclesiarum & Residentiarum Societatis circa annum quinquagesimum quartum supra millesimum ac sexentesimum messis visa fuit P. Martino Martini ; quando in suo commentariolo tum Romæ edito scripsit , anno decimo septimo sæculi currentis ante cœptam correctionem Calendarij uno , fuisse apud Chinenses recensita Christianorum tredecim millia . Numerus hic sæculi anno quinquagesimo ad centum quinquaginta millia excrevit ; factus intra annos viginti decuplo major , quâm fuerit antecedentibus quadraginta annis cum eâdem ferè operariorum raritate . Hoc ipsum Pequinense solum quasi arenosum & sterile vix centum inferebat ærario divino quotannis ; eò quòd ex omni Provinciâ ad Curiam affluentes colluviem faciant minus attentam rebus serijs , aptâmque religioni . Postquam tamen ab aliud velut agentibus , sub splendido pallio astrorum , Divina communicata sunt ; quotannis Dei pensum adeò multiplicatum lætissimi viderunt Patres , ut supra sexcentos & septingentos baptizatos excurserit .

* *

CA.

CAPUT X.

Instauratio Imperij per Tartaros, & Astronomiæ restituta curæ.

Post dissipatos per Imperium, ac profligatos perduelles, collectis in unum copijs castra ad urbem admoverunt Tartari. Non ut paucorum dierum spacio direptam vastatamque ab immanitate latronum profugientium novâ calamitate percellerent; sed ut perturbato imperio, quid pro ea à socijs imposterum obsequij deposceretur, intelligerent. Quatriduo in castris exacto totius urbis, & omnium Magnatum gratulatione, qui universi ad eos in castra exierant, excepti sunt, & in Regiam introduciti, studiosè percontante identidem Patruo Regio, qui Regis Tartarorum, Nepotis sui nomine exercitibus prærerat; reverâne hospites admitterent? velléntque ac juberent sibi imposterum à Tartaris imperari? Omnibus uno ore acclamantibus, Vivat, vivat Rex, mille & mille millibus annorum! acclamatione hæc tenus ad Sinenses Imperatores usitatâ, secutus invitantes ad Palatij ruinas ac bustum pervenit. Alterâ die, quod hominibus suis ædes in urbe ad commorandum non sufficere animadverteret; voluit Chinenses Incolas in exterioren civitatem mæni-

mænibus primariæ urbis solâ fossâ interjectâ cohærentem commigrare; concessò tridui spatio, quo mōbilia possent evehere.

Urbs major, in quâ Regiâ, directè Austrum respicit, & quadrato muro cingitur: Cujus quodlibet latus ad viginti quatuor stadia excurrit (ducenta quinquaginta stadia Chinensia unî gradui in sphæra cœlesti respondent, & milliaribus quindecim germanicis; quorum proinde singula stadijs circiter septendecim constant) & ad ternas mundi plagas, Subsolanum scilicet, Zephyrum, & Septentrionem versùs extendit. In singulis lateribus binæ patent portæ; extra quas latissima effunduntur suburbia. Quâ Austrum respicit tribus portis ad anteriorem urbem est pervia. Turres muris continuas & omnes quadratas numerat, in universum trecentas sexaginta: inter quas ad duo quælibet stadia una latior, quas facile esset addito triangulari acumine in propugnaculi formam redigere, ut civitas redderetur inexpugnabilis. Murus altitudinem quinquaginta cubitorum æquat. Intra & extra opere lateritio vestitur; nucleo terreo optimè compacto suffultus. Crassitie constat cubitorum viginti quatuor, in quâ planitie equites discurrere, & milites commodè ordinari possunt. Intra hoc septum Tartari omnes retenti. In alteram urbem quæ antea plurib' in locis deserta erat, plebs Sinica ejœcta, nunc

nunc undique habitabilem fecit. Hæc longitudo ab ortu in occasum prioris latus Austrinum superat stadijs quatuor ; latitudine quâ ad Austrum porrigitur dimidium illius non excedit : muris & turribus ; sed aliquantò humilioribus instruēta.

Ne cum cæteris res Christiana compellentur à Regiâ longius exulare , atque ædibus ad destinata opportunissimis exueretur , nihil differendum ratus Pater Adamus libello supplici novum Tartarorum Senatum aggreditur . In illo pluribus commemorat Europæum se hominem à multis annis in urbe commoratum legem DEI populo suafisse ; in Regiâ urbe templum & imaginem habere cum libris , & omni ad hoc munus exequendum constituto apparatu ; quæ omnia nequaquam intra triduum civitate efferri possent . Astronomiæ & Calendarij emendandi curam jussu demortui Regis se suscepisse : magnam vim tabularum , quibus ejus commen-
tationis libri incisi essent , domi asservari : omnia perire necessum esse , & Reipublicæ perniciosum , si urbe exportarentur : Proinde rogare , ut cum advenis , in hac rerum fortunâ desideratissimis , & ipse Advena , suâ in statione imposterum firmari jubeatur . Cum libello coram Senatu novæ Reipublicæ , plebejo habitu indutus , inter turbam civium , non absimilia postulantium genibus flexis se stitit ; latus omi- ne

ne sub ipsum rei principium à circumstantijs capto. Felicior quippe omnibus, qui plurimi affluebant, competitoribus, cùm in illos scutis & baculis ageretur, nec illorum libellos vel oculo dignarentur Præsides, genii flexum Patrem tuto adesse sunt passi. Nec multò pòst è Senatu quidam benignius hunc intuens jussit propius accedere, & libellum offerre. E voluntà paginâ ad quædam subsistens: quæsivit quid tēpli nomine Pater intelligeret? respondit; locum esse in quo DEUM Creatorem omnium revereri consvēset. Quæsivit rursus, cur communi vocabulo delubri cum cæteris non uteretur? Respondit Pater: Hoc ad distinctionem religionum factitari. Reliqua prosecutus de Calendario interrogare perrexit, & num in Mathematico tribunali officio fungeretur, & eorum redditibus viveret, exquisivit: neganteim; ac se non tribunalis illius calculatorem, sed calculatorum magistrum esse afferentem; tanquam consecutus, quod quærebat, jussit in pedes surgere, ac singularis reverentiæ significatione redire postero die; domi interim securè degere (Hic ipse postea quotannis triginta aureos eleemosynæ nomine ad templum, aliâque Patri munuscula mittere solitus; demum Patruo Regis vitâ functo, ubi Rex ipse habenas imperij tractare occperat, officiosissimè ad Rēgē introductum Patrē Adamum ei commendavit:

H

re-

114 *Initia Expedit Christiane ad Chinens.*

remunerationis quoque illud à D E O consecutus , ut ex familiâ suâ Christianos non paucos , atque hos inter filiam numeraret .) Discessum paranti duos è literario Magistratu suos discipulos qui deducerent, addidit, exploraturos singula . Et verò hi excussis omnib' diligenter, visi majora narratis renunciasse . Alterâ siquidem die revertentem liberalius exceptit Senatus ; Fuit illico qui obviam procedens hilari vultu tabellā è sinu proferret, licentiæ commorandi in urbe tesseram , & severam cautionem , ne quis Tartarorum Patri molestus esset ; Hanc ajebant, portæ affixam dies aliquot pendere finito. Edicti experimentum proximè factum. Redux quippe Pater Adamus non solum Aulam & atria ; sed cubiculum quoque ingratiss hospitibus infessum , quíq; continuo exesse , ac veterem migrare colonum mandabant . Pro scuto objecit Pater diploma , résque suas , ac domum nemine contradicente , quin è vestigio diffugientibus illis servavit . Eâdem arte reliquæ ædes ad sepulchrum P. Matthæi Riccij perstiterunt, primis possefforibus intactæ: aucto diplomate , comminatione pænarum molestiam illaturis certâ : feliciter hæc omnia apud Barbaros suadente demissione , & agente causam DEO pro domo suâ.

Disparem exitum fastus Astronomorum tulit . Patronum causæ suæ præoccupaturi ,
Ehe-

Ephemerides mutato anni nomine Senatui præsentant. Quærentibus, quale nam illud esset, quod offerrent munus? Vetus, inquiunt, gentis jam vestræ Calendarium est, novo Marte concinnatum. Atqui reponunt Tartari; Scatere, ajunt, erroribus hoc vestrum. Intelleximus aliud emendatiū à TAM JOH VAM (nomen est Patris Joannis Adami) Europæo editum: Aptior novo imperio erit ista ingenij novitas: Hunc quantocyūs hominem huc advocate. Dissimulantibus mandatum, quia perculsis, postridie Senatus Patrem per Apparitores suos in Palatium evocat. Honorifice deductum ante opperientem præ foribus Mathematicorum gregem unā acciri jussum, in Senatum tribuni introducunt. Priùs tamen quām conclave subi-
ret, circumfusi ex æmulis nonnulli, rebus suis diffisi, & subodorati sententiam, quæ adversus suam imperitiam gliscebat in animis Tartarorum, quantā poterant eloquentiā fatagebant persuadere, ut, si de Calendario Pater interrogaretur, diceret: novum calculum, compilatum esse necdum ad calcem, supremam illi manum adhuc deesse. Quibus Pater: Supervacanea isthæc, inquit, vestræ est solicitude: Quid Senatus ex me quæsitus sit; quid ego Senatui ad interrogata repositurus, ubi ingrediār, resciam. Promittere nequeo, quod mihi adhuc incomptum est: Cæterū quid animo

H 2 vestro

116 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

vestro sedeat satis perspicio ; minùs providè agitis , si post quindecim annorum bellum uno temporis momento pacem componere , calentibus etiamnum jurgijs , meditamini. Admissis in Senatum universis de statu Calendarij rogatus Pater : Nihil ei propemodum deesse ad coronam , respondet : Rogati & æmuli ; si ejus praxim jam edidicissent? reponunt impudenter , minimè . Patri itaque incubuit sequentis anni Ephemerides quantocyùs expedire solum: quibus adversarij suas apud Senatum attexuerunt. Traditus utriusque parti alterius labor dijudicandus. Septem immanes errores Chinensium lucubratio exhibuit , scripto exagitatos à Patre: Hujus autem calculo nihil opponi potuit ab æmulis , præter novitatem ; vetustati , sibi de viribus male consciæ , atque interitum formidanti semper exosam. Imò ad objecta respondere jussi suomet suffragio quando aliter non poterant , Europæam methodum comprobarunt signatam , nomine singulorum , & Typario Senatus appenso. Itaq; in annum sequentem , qui Tartarorum erat secundus , concinnatæ Ephemerides , & supremo Senatui priùs quam prælo darentur , ut inspicerentur , oblatæ. Ab illo ad Regem transmissæ ac plurimùm collaudatæ sunt.

Prænunciata quin etiam Eclipsis solis evenitura Calendis Septembris anni 1644. ejusque

pro

pro regnorum dispari situ, in singulis dissimili-
ter observandæ, appositi calculi quaquaversum
dimissi. Industriam demiratus Rex: nunc, in-
quiebat, primùm in Sinensi imperio Solis &
Lunæ deliquia, quanta quanta fuerint, quisquæ
loco suo & tempore certus aspiciet.

Ubi tempus observandæ Eclipsis adfuit,
supputationes omnes tam juxta Europæam,
quam juxta antiquum Sinenium ac etiam Ma-
hometanorum regulam, cum cujusque schema-
te per omnia tribunalia, & in vulgus etiam di-
spersæ. Die verò Eclipsis speculam Mathe-
maticam Pater cum uno Senatūs Principe,
quem Rex designaverat, & Mathematicis con-
scendit; Sociorum alijs ad tribunal rituum, ubi
universus Regiæ Magistratus ad succurrendum
Soli laboranti, more veteri toto Eclipsis tem-
pore genu flexus adesse consueverat, submis-
sis: Alijs supremo senatui intra Palatium pari-
ter erudiendo, devinciendoque Europææ me-
thodo assistere jussis: tot oculis vel à deliquio
Solis, plenius inspecturis novæ doctrinæ ro-
bur, firmitatémque rei Christianæ imposterum
designaturis. Nec votum fefellit. Aliunde loco-
rum felix concordia calculi cū cœlo allata est,
& Pequini Regia universa Astronomiæ Euro-
pææ applausit. Excepérat discipulorū nōnemo
tubo optico sole, & corpori interjecto obliuetā-

H 3 tem

tem in chartâ monstraverat ; quando Senatorum aliquis, cæteris amænitate rei abreptis, arrepto pennicillo, elogium observationi , atque huic, uti videbatur, portento adscripsit. Nos, inquiebat, Senatum Principes observationi Eclipsis solaris assistentes , deprehendimus antiquam Sinensium regulâ dimidio à vero discrepasse ; Mahometanos unâ horâ deviasse ; solummodo novum ab Europæis traditum calculum tam tempori , quam punctis Eclipticæ exactissimè respondisse . Dignum sanè eximios viginti annorum labores , exacti imperij tempore ab invidiâ perperam suppressos , Nobis regnantibus lucem aspexisse & probatam oculis , illorum fidem immortalitati transcriptam esse . Quare præcipimus , ut ij ad quos pertinet , singulari eam diligentia tractent , ne per eos stet , quo minus decem annorum millibus perduret. Rex perspectis , quæ undique affluebant , novi calculi commendationibus , laudatam amplissimè methodum complexus edidit ; ut Mathematici universi eâ solâ deinceps utantur , eamque ad posteros æternum duratram transmittant ; Magistro Tám Jô Vám ad supputanda astronomica omnia assumpto .

Erant tum in tribunali Mathematico supra septuaginta , cum officio Magistratūs , redditibus Regijs abunde instructi . Ipsis accensebantur cen-

centum ferè candidati, quibus sola oriza dabatur, ut nunquam non præstò essent, si contineret aliquem ex primoribus decedere, qui prævio examine in demortui locum succederent. Turbam inutilem succidere statuit Senatus: expectabâtque nutum Patris Adami, quos potissimum è competitorum grege deligendos designaret. Hic enim verò ad genua æmuli, & ad aram hostes. Pluribus opem, quam deprecabantur, attulit Pater; quamvis minimè nesciret, quod & venit, apud improbos beneficia non nisi ingratitudine compensari.

CAPUT XI.

Collata P. Adamo rerum Mathematicarum.

Præfectura confirmatur.

Præfectura rerum Mathematicarum insigne est apud Chinenses muneris publici genus, & inter Magistratum summos jam olim recentitum. Hanc Patri Adamo, Rex nuperis comitijs, ex occasione Eclipsis præteritæ solaris, deferri per tribunal rituum demandavit. Dissimulabat tantisper executionem Senatus, sive Astronomorum gratiâ, qui spe dignitatis hujus dejecti, præfidum nonnullos, edicti Regij ad indigenas revolvendi spe, retardabant; sive quod ipse dubitaret, diffonas mentes

H 4 è vesti-

120 *Initia Expedit. Christiane ad Chinens.*

è vestigio coalescere posse, ideo cāvendis motibus temporis suo servandam mandati expeditiōem putabat. Ursit destinata Rex ipse, minime alieno patrociniō permotus. In anni supra millesimum sexcentesimi quadragesimi quinti diem decimam Februarij, incurſura Lunæ Eclipsis, calculatione Europæā usū recepto annunciatatur. Defuit libello titulus, quem præfigere ad Regem erat moris præfecti Mathematū. Illico erudiri voluit à Tribunalū rituum Imperator, quod illud sit decreti officij silentium? Nonnulla excusantem tribunalis Præfidem, expedire ad unguem, quæ juss̄erat, præcepit: universis omnino Mathematicis, tum alumnis Regijs, tum alijs quibuscunque, atque omni rerum ad tribunal hoc pertinentium comitatu subjici Europæo Patri mandavit: aliud pro decore Reipublicæ & novæ regulæ utilitate non fore dictitans; minus in officio in incertum evagantes cæteroquin ingeniorum motus coercendos.

Nomen dignitatis P. Adamo per institutiōem, quam profitebatur, alienius est visum, quam quod ab eo suscipi se pateretur. Quamvis præfectūra Mathematū, si rem spectes nihil moribus Societatis adverſetur: Imò literariæ Reipublicæ propria, nullius præterea esse videatur, si hujus non sit. Insignia tamen Magistratū gerenda; statis dierum intervallis tenen-

tenendum Palatium ; quotidie ad negotia expedienda pro tribunal capienda sessio ; curæ de-
nique à scopo primario salutis animarum pro-
sequendæ deviantes suaserunt ; ut humeros ,
saltē oneribus præfecturam comitantibus ,
quā posset, subtraheret. Exposuit Regi ; se
sacri, quod gerebat, muneris ratione, quotidie
manē DEO Sacrificium offerre ; statutas preces
per diei curriculum persolvere ; mīnūs tantis
momentis officij adeo eminentis præfuturum ,
qui uno eodēmque tempore multūm dispara-
satagere cogeretur. Principiò igitur , cūm
suboffensus videretur Rex existimatæ repulsæ ,
suscepti omnino muneris , etiam annitente ,
qui missioni præerat Superiore , dissimulanda
fuit cura : donec exoratus Imperator alleviaret
occupationes privato vitæ generi difformes .
Absolutus subinde ab onere aulico Pater ; sub-
ditorum tribunal è Regiā translatum in ædes
Europæas : omissi redditus onerosi Magistrati-
bus apponi soliti ; Ipse , quòd præferret con-
ditionem advenæ , more ab omni obsequio
exemptorum hospitum , ac tantummodo maxi-
mi momenti indigenis indulto , honoris simul
ac commoditatis eximio incremento , quotidie
bis positâ mensâ perpetuò ali cœpit ; quæsturæ
tribunali , ad initium cujusque mensis pecuniæ ,
& orizæ , ac necessariorum quidquid appen-
dendum esset , affatim ministrante : Patre ita-

H 5

fine

sine suâ solicitudine futuro perenniter , gratiâ summis quoque Magistratibus invidendâ , Regis convivâ.

Uti nulla rerum naturalium est , cui non suus innascitur vermis , aut teredo adhæret , à quibus vexatur ; ita huic quoque tribunal i Mathematicorum , seu collegio , cui recens præfatus erat Europæus Sacerdos , evenit . Redacta in ordinem Astronomorum Regiorum turba : compulsi ad obsequium hominis exteri tanto arroganterores Indigenæ , quanto literatores : præclusa contentionum materiâ jussi stare ad unitus Præsidis arbitrium , studijs antiquitatis patriæ , & ingeniorum solito æstu sepositis . Acerbissima hæc , quæ foris iram sine viribus movissent , domi validum naæta sunt telum , quo exosa novitas , & Europæum in Chinis collegiū poterat concuti , vel omnino everti . Avaritia duorum ex Academicis Alumnatūs Regij questum sibi , odium magistro factura conspirat cum malevolis . Paciscitur pecuniam ; ut privata , quæ Pater nemini unquam communicare in animum induxisset , sibi explorata , ijs communicet ; Sincere nunquam ab illo tradendam methodum , ad quam edicto Regio compulsi essent ; ut materia minimè aliquando deficiat criminandi Chinensium doctrinam , & stabilendi Europæam : Ab hoste nondum placato , ob præteritas offensas nihil certi , nihil

nihil sinceri præstolarentur. Interea se qui intimos animi illius recessus, uti non fallebant, penetrâssent, ad amissim prodituros quæ nōs-sent, & quæ non nōs-sent, auro apud avidum pecuniæ impetraturos.

Conjuratio jam in tuto videbatur. Com-portatur insignis pecunia: obviantur Alumni: scopum factio proximis Collegij rituum comitijs attentat. Defert ad hunc Senatum compositas ad persuasionem querelas, & Patrem non minùs, quām Majestatis atque inde mortis reum accusat. Actio erat, quod contra jus Regni, Regiāmque munificentiam dignitate adeo eminenti, rerūmque undique affluentium copiā nondum satur Europæus munera nihilo minus docendi gratiâ accipiat; & insuper quos pecunia degluberet, planè quoque oppressos indignissimè atterat. Nacti ex præsidibus quendam SÙN CHI Scây, nuper P. Adamo offendum, quòd ipso rogante cuidam Mahometanorum nuper in aditu Magistratūs, quem immeritò petebat, cùm poterat, non favisset, apto somiti scintillam commiserunt. Arreptâ hic vexationis reponendæ opportunitate diem Patri edicit. Nihil ille fraudis suspicatus ex improvisò evocatur: causam ex Præside palam audit. Usurpari scilicet ab Europæo Sacerdote Jura duoru Tribunalium Ly' & Ly': Deinde ipsum.

124 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

ipsum , quem administraret Magistratum sub-
reptitio Regis diplomate niti : Tandem pas-
sum esse se corrumpi muneribus~ . Tum alle-
gat testes , sententiam rogat , oppidò urget ,
& tantum non extorquet . Valde perculit
illa criminatio , futurum crimen inauditum , &
indubitata nece piandum , quòd audacter affir-
maret ; nullum ex supremo isto Senatu memi-
nisse edicti , quo Magistratus Mathematum
P. Adamo conferretur . Plus negotij causa-
bat , quòd amplius duabus horis interea excus-
sum archivium , quo libelli supplices cum re-
sponsis atque edictis asservantur , nihil exhi-
buerit ejus , de quo agebatur diplomatis~ . Soli
interea ardentissimo expositus Pater , ex quo
triduo toto deinde capite indoluit , nemine
afflictum accedere aut colloqui permisso. DEO ,
& bonæ causæ de more invocato circumspicit ,
si forte innoxium à conspiratione aliquem à
codicillis nancisceretur , qui denuo Archivium
eventilaret . Utrumque impetravit : ac pro-
ducto mox diplomate : Quis , inquit ad Præsi-
dem , capit is nunc damnabitur ? En Regiâ manu
signatum , & exaratum edictum , quod negasti .
Obmutuit ad allegata Præses~ . Tum minore
negotio falsi testes confutati , convicti suæ im-
probitatis accusatores , Tartari demum in eos-
dem , ac Coryphæum Præsidem , investi pro-
bris & convitijs multatos pro merito exercue-
runt .

Aderat

Aderat in Senatu amicissimus Patris FAU cognomento ; divinâ duce providentiâ eo die ac loco submissus , cùm per tres antea continuos menses à confessu privatâ de causa absuisset . Hic eam spem boni successus , quam innocentij ejus præsentia fecerat , postea factâ insigni cumulavit . Expeditâ enim pro æquitate sententiâ statim progressus ad Regem universæ rei seriem enarravit ; retulitque postea ad Senatum Regis nomine , minimè impunè abire permitendas eas calumnias & convitia , quas Mathematici & horum fautores adversus suum Præfitem Europæum Patrem protulissent : Perspectum esse Regi Præsidem Mathematum T. AM. J. V. M. Virum esse fidei integerrimæ , nec minus pium , quam innoxium : velle Imperatorem adversarios omnes coram Supremo Senatu Patri Joanni Adamo genua flectere , & posthac emendandam culpam demissè deprecari . Quibus ad mandatum Imperatoris præstitis ipse ille supremus Senator , & tribunalis rituum dignior Præses , postridie domum Patris Adami convenientes , pridianam injuriam abunde officijs suis compensarunt . Redacti exinde in meliorem ordinem Mathematici , pulsis inquietis , & substitutis , qui honestiorem frugem pollicerentur . Promovit Christianam rem hæc literatorum fracta superbia . Dicto obsequentiores facti sensim assueverunt ei , qui hactenus impunè refra-

fragabantur potestati : & quia cum imperio literarum notitia Dei ac virtutis simul instillabatur ; passim flebantur ad complectendam, desertis Idolis, fidem Christianam. Magnus continuò numerus per Baptismum Ecclesiæ aggregatus ; insecura templi ac pietatis exercitorum uberior frequentatio : & , si delectus non adhiberetur , quem necessarium esse constat, omnes illico dedissent manus; cùm interim multorum sola desideria firmandæ voluntati acceptarentur .

Commendavit deinceps quoque virtutem P. Adam i insolita à lucro & fastu abstinentia ; quæ duo sibi arrogare erant soliti antecessores ex officio præsentis Magistratūs. Moris erat, ut quoties aliquis in Collegium seu tribunal hoc mathematum admitteretur, omnes primi anni reditus in præsidis emolumentum cederent : Avarum hunc morem sustulit , nemunere quidem accepto. Præterea Præfides authoritatis suæ facturi incrementum , ægrè ad colloquium admittebant subditos ; & si admitterent, in cæremonijs Sinicis observandis superstitiosi ac tædiosissimi fastum immanem præferebant : Pater eminentiæ suæ fastigio contentus, abjectiones aulicas à secum aëturis amovit, & familiarissimè admissos audire , & negotia expediri faciliùs imposterum fecit. Odisse demum non poterant eum , à quo sæpissime

mē se protegi, & quo nonnunquam intercedente insperatō se à Rege remunerari sentiebant. Academicī autem illi, qui tempestatē nuper concitaverant DEO vindice, ut creditum est, cum eo, qui accesserat ad improbitatē promovendam, præside, meritas pœnas dederunt. Eorum alter peste correptus unā cum Matre, fratre, uxore, & filijs brevi sublatus est. Quod tamen Christiani essent, ægrotos invisit Pater, & à peccatis per pœnitentiæ Sacramentum absolvit. Verūm, cum Christianæ virtutis merito, contagium ipse domum retulit, nihilominus DEO dante brevi à periculo eluētatus. Alter quia subdolus & pervicax ingenio, ipsi quoque tribunalī rituum visus est, ejectus ab eodem, & domi suæ egestate confectus. Præses aliquot pōst mensibus in patriam XENSY reverfus, ut suos inviseret, à conterraneis forcipibus dilaniatus, extractoque corde & comesto, miserè perijt. Ejus filius Doctorum albo non multō antē adscriptus, dum in curiā magistratu fungitur, sat levi de causā privatus officio, & bonis fisco addictis, in exilium ad deserta Tartarica relegatus est: Machinis, quas insonti paraverant, in authores recidentibus.

Pacatis rebus mathematicis aliquid præterea domesticæ molestiæ expediendum supererat. Ex quo Tartari imperio potiti sunt, singulorū tribunalium.

128 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*
nalium Magistratus, sibi ex æquo cum Chinensi-
bus diviserunt, & quandóque summa rei penes
solos Tartaros mansit. Plane idem in ma-
thematum tribunali futurum videbatur; in quo
jam essent, qui Ephemerides Tartaricè verte-
rent, quique ad ingenium indigenarum sibi ar-
rogaturi viderentur quoque cætera. Non
erat, diviso imperio, res Patrum publica priva-
taque ex animi sententiâ processura. Consuli-
tur tribunal rituum, atque ab illo postea Rex,
cùm Senatus supremæ tantùm judicaret esse
potestatis, communem omnibus Magistratibus
morem, in uno mathematum collegio limita-
re. Rex causâ discussâ, præter opinionem
pro Europæo Patre dec̄idit: Inquietos primùm
populares suos, qui litem moverant, flagris ac
verberibus excipi, solâ vitâ donari: Tribunal
rituum verò pœnâ pecuniariâ multavit, quòd
tales tribunali mathematico addi~~x~~isset, qui fasti-
dij plurimùm, ac plus detrimenti quā auxiliū
adferrent.

Adhuc alias lapis offensionis obstabat. Ille
nimirum, qui, priusquam Tartari imperium
obtinerent, præfecturâ Mathematics poteba-
tur. Illis quippe regiam ingressis, ac sceptrum
obtinentibus, quòd in hac arte tantillūm instru-
ctus, annis aliquot apud Tartaros eidem ope-
ram impendisset, nonnihil placuit: Postea
se junxerat Mathematicis, cupiens amplius
eruditus?

erudiri ; quò sibi aditum ad præfecturam jam semel delibatam pararet. Rebus non ex voto succendentibus impatiens , P. Adamo ad id muneris evecto nō acquiescebat, imò nihil omittebat existimationi suæ promovendæ ; donec omnino ejus ad culmen deducendæ spe prorsus excidit. Quod casu eo, quem narrabimus, accidit.

Solent Nationes istæ laudum cupidissimæ res abs se bene gestas , quemadmodum & majorum suorū memoriam marmoribus incisam æternitati transcribere : Quæ elogia vel in quadrata basi, aut in tergo testudinis, aut columnâ statuntur. Imperator Patruo adhuc viventi hunc honorem decrevit; quò res ab illo præclarè gestas posteritati commendaret. Marmora in aditu Regiæ erant erigenda , cùm jam inscripta essent ; sed ad hanc prius deportanda, cùm abessent longiusculè . Quærentibus modum inscriptas machinas transferendi, etiam mille viris præter lapicidas septuaginta, ac lignorum ingentem struem , funium & curruum multitudinem decretis , occurrit operum Præsidibus , Europæum Patrem expeditiùs & brevioribus impensis rem confeaturum. Confestim ædiles advolant , & seriò , an experiri volentes? quot homines , ligna , funes requireret ad marmora adducenda perquirunt : Ajuntque Regem Patri id muneris exequendum committere.

I Paucis

130 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

Paucis inquit Pater, trochleis, ac polispasto
est opus, tribus item ad summum trabibus,
octo decémve novis funibus, & operarijs quin-
quaginta.

Mirati paucitatem operarum, ad nutum o-
mnia quām citissimē fistunt. Adducitur pro-
missā cum facilitate prima moles, testudinis
figuram emetiens, septuaginta circiter millium
pondō, ac loco suo collocatur. Tum aliud mar-
mor librarum quadraginta millium, cui erigen-
do admovere manum tota multitudo antea re-
fugerat, attollitur, everso priori in medio aëre
obversum in destinatum situm. Applausit cum
Regulis ac tribunalium præfectis universus Re-
gni Magistratus, qui ad spectaculum confluxe-
rat. Erectus unā cum machinis æmulus, qui
livore prostratus dudum jacuerat, & dimidiā
die perfectum intuens, quod elaborandum plu-
ribus diebus crediderat, murmura & querelas
suas adversus thaumaturgum, uti interpretaba-
tur, indignatus: age, inquit Pater, quia tam
facili negotio præter omnium opinionem
hæc perfecisti, de me quoque victoriam
cane. Per te omnia nunc credam fieri,
quæ posse negabam.

CA-

CAPUT XII.

*Regnantium in Chinis Tartarorum prosapia:
Eorundem in Astronomiam studia: Regis Corea-
norum in eandem ac Christianas res
propensio.*

Imperante Chinensium Rege YAÖ, duo viri
XY, & Hô, Astronomiæ, prout illa ætas
ferebat, utcunq; periti, curam dimetiendo-
rum siderum; polique altitudinum colligenda-
rum in se recipientes, tanto in honore sunt
habiti, ut titulo Ducum insigniti, dignitatem
hanc suam ad Posteros transmiserint. At verò
Posteri, planè Magnatum filij, quid à Majori-
bus, non unde accepissent, attendentes, titu-
lo & redditibus opulenti postea magis, quam
scientiâ astronomiæ clari, cuius gratiâ honores
isti olim fuerant comparati, evaferunt. Omisso
spectandorum siderum officio subditos oppri-
mere, opibus inhiare, plurima reipublicæ no-
xia moliri cæperunt. Imperatorum armis,
quod tandem necessarium fuit, coerciti, at-
que in ordinem redacti ad artes postliminio, un-
de diverterant, recurrerunt: earumque gratiâ
quamvis non in proximo fastigio, tamen inter
eminentes Magistratus usque ad initium imperij

præcedentis (in quo Lēu LEū Pē VEâ adhuc Comitis titulo tribunali præsidebat) steterunt ; non alia de causâ , quâm quod rerum cœlestium interpres , & Deorū consiliarij vulgo haberentur : Idque nominis apud finitimas quoque gentes sunt consecuti . Astronomos quippe Coreani , et si tardiori ingenio prædicti , tamen supra nubes extollunt , dum istos nubium Magistratum indigitant . Tartari verò plus armis & capturæ piscium (de orientalibus nunc Sinenstium Dominis est sermo) quâm contemplandis sideribus assueti , ex quo originem suam e cœlo se ducere credunt , ijsdem quasi conterraneis suis plurimum deferunt : quodque antea soliti erant a Chinensibus mutuare , quorum imperium cœlestē ac divinum propterea vocabant , sola ratio rerum Astronomicarum fuit ; de cuius ubi postea instauratione , cùm intellexissent , vix Regnum ingressi authores rei pulcherrimæ sollicitè inquisiverunt , atque enixè foverunt . Horum omnium locuples P. Adamo testis extitit , atque omni exceptione major , nisi summam suam autoritatem fabulis affirmandis unâ collocasset , major Patruus Imperatoris amicissimè cum Patre Adamo agere solitus : qui post alia quâm plurima quæ avidus enarrabat , familiæ quoque Regiæ originem sâpe recensere , atque ab astris desumere satagebat . Ajebat ante generationes decem tres puellas

ellas sive Nereides è cœlo in fluvium causâ lavandi descendisse (AUGELA, CHAUGULA, FÆCULA vocabantur) quo tempore, supra uestem Fæculæ in ripa dimissam apparuisse, nescio unde, allatam vesicariam cum fructu suo corallino; quem ut illa conspexit, arreptumque deglutiit, factum, ut illis duabus cœlum repetentibus, hæc ex esu fructuis grava dimissa sit, donec eniteretur filiolum, quem ablactatum, & in exiguum fluminis insulam deportatum, jussit expectare educatorem, mox eodem accessum piscandi gratiâ; ajens se interim unde venerat, reverti in cœlum. Omnia evenisse postea ut prædixerat. Puerum exinde crevisse in virum strenuum, eximèque fortitudinis: suscepisse filios ac nepotes: Qui paulatim Regioni illi dominati sint; donec post quintam generationem ab incolis bello vieti & necati fuerint, uno superstite: Qui fugâ jam propè elapsus, cùm progreedi præ lassitudine non posset humi considere, atque in sequentes hostes sustinere coactus sit. Verum, ne agnitus caperetur, Divinâ providentiâ picam ad volasse, & capiti insedisse; hostibûsq; existimantibus truncum se arboris cui pica insideret, non hominem videre, sic illusisse (Fuerit hæc ratio, cur primis annis disturbare per urbem nidos picarum severè vetuerint, veteris beneficij etiamnum memores) Servatum hunc à cæde Divorum.

Nepotem reparasse deperditam gentem, ex eoque Avum moderni Imperatoris editum. Hunc non fabula sed jam historia narrat virum acrem ac strenuum fuisse: In valle etiamnum MON-
CHEÙ dictâ dominantem. Qui à Chinensium Imperatore, postquam ad Regiam accessisset, in pretio habitus, eam vallem ac omnem circa regionem adversus Tartarorum incursum defendendam obtinuerit illis terrarum spatiis cum potestate præfectus, & titulo insignitus, omne futuri imperij Hâc Lûm Mîm, quod Tigridis, ac Draconis virum ducem designat. Hunc postea ob contemptum quo reliqui præsidiarij Chinensium Duces, & Præfeti ipsum ac Tartaros insestarentur, quos hircorum ac canum nomine ac loco habere essent soliti; oppressum insuper æmulorum invidiâ ac calumnijs coactum fuisse, quo se, ac suos infamiae ac servituti eximeret novas res moliri. Quapropter finitimus Tartaris partim armis, partim benevolentia solicitatis abruptit se se iterum ab obsequio juxta, ac jugo Chinensium, & totum illum terrarum ambitum, quem CEÃO Tum appellant, centum & amplius leucarum, cum COREÆ regno aut suis opibus adjecit: aut amicitiâ ac fœdere conjunxit, non modò Rex sed & Imperator nuncupatus. Illud tamen ex consuetudine cum Chinensibus antea cultis complexus ac retinens, quod Chinensis Imperij formam,

formam legibus ac Magistratu, quin etiam studio literarum quam proximè sit imitatus: donec tandem per nepotem eum, qui nunc rebus præesse cæpit, utrumq, imperium in unam Monarchiam conflaverit.

MIRHACHE Imperatorem hunc antea, postea verò à condito imperio TIEN CUM vocarunt, & ipse simili agnomine Patrem suum, quamvis vitâ functum, titulo tamen Imperatiori TIEN MIM inauguraravit. Formato domi Principatu incursionibus vicinos Chinenses, olim injurios, vexare cæpit, ut amplitudinem eorum nunc adimeret Imperio, quam honori suo quondam subtraxerant. Quartum è filijs huic expeditioni præfecerat, reliquis novem tametsi viris fortissimis, huic tamen in prudenteria gubernandi ac dexteritate facile deferentibus. Decennio post conditum imperium exato moritur TIEN CUM, quo tempore Chinensium res finitimæ respirare poterant, & desperita ab æmulis, reverti; nisi contemptu hostis, & suâ ignaviâ perire ipsi maluissent. Quartus interea fratum, cui cæteri sponte concederant, assuetus jam olim armis à Patre, ac Reipublicæ sceptrum capessit: incredibile, quanto cum adolescentis imperij emolumento. Gentiles suos ita ad humanitatem, fidem, justitiamq; assuefecit, ut quamvis militū numero nō abundaret) vix octo millium exercitiū alebat) omnes tamen æmulos

ac socios in fide, & officio hâc parvâ manu con-
tineret. Admirationi fuit post occupatum Chi-
nense imperium inductos Pequinum homines
illos, non multò ante agrestes, ac rusticos, eâ
gravitate, & prudentiâ negotijs decidendis sta-
tim præ sedisse; quasi publicis rebus gerendis
innati, & tribunalibus fuissent innutriti. Sine
molestiâ noverant illico diu noctuque in pala-
tio Regi assistere; ad bellum nullum detrectan-
tes laborem quâm longissimè proficisci; & cum
Ducibus non multis aliarum nationum multi-
tudinem, & adducere secum, & in officio con-
tinere: Manifesto experimento plerumque non
deesse naturam hominibus, quamvis ars defi-
ciat, vel experientia.

Virtutum civilium exempla supra expectatio-
nē inculta hæc, uti quidem putabantur, Barba-
rorum agmina ad reipublicam attulerunt. Spe-
cimen liceat capere ex abstinentia fratris regij
natu majoris, ad quem defuncto quarto- geni-
to iteratò nascendi conditione revertebatur à
Proceribus imperium; quique octo filiorum,
præclarâ indole, atque ad gubernationem
aptissimâ, felix Pater clavum reipublicæ ca-
pessere sine offensâ cuiusquam, ac tutò pote-
rat. Memor tamen voluntatis paternæ, in
quarto-genitum, præterito se, jam olim in-
chinantis; hujus quoque prosapiæ in proge-
nitio-

nitoris reverentiam cessit. Ad hæc è filijs unum, uti sceptrum capesseret, & delato à Proceribus imperio submitteret humeros; aut saltem filijs adscisceret suadentem, vehementer offensus reipublicæ ac fratri successori ultrò detulit, ac mortis in seditiosum sententiam postulavit; atque ipse spectator rigido vultu adstitit, cùm forcipibus ambitiosus juvenis postea per judicium sententiam dilaniaretur. Filiæ quoque, quod verbulo temerario eminentiæ regiæ desiderium, quo improvida tenebatur, quodque animo Patris persuasum cupiebat, explicuerit, circellum aureum naribus inseri fecit, eamque ita hoc signo improvisi desiderij, & inconsultæ loquacitatis voluit notari.

Hic ipse cum filijs P. Adamo amicissimè conjunctus plurima existimationi Europæorum, plurima bono rei Christianæ præsttit. Sæpius per annum Patrem invisens effecit, ut non modo Tartari, sed eorum reguli omnes, quorum ipse primus & maximus erat, & honore & amore Patrem prosequerentur: Primum hoc maximè apud illum demiratos, quod Eclipseis siderum, planetarumque cursus adeò exactè prædicere: Nihil hunc nescire existimantes earum rerum, quæ in terra sunt; qui tantum in cælestibus tam longè positis esset versatus.

I 5

Eadem

Eadem initio causa apud reliquos P. Adamo
preium fecit. Hanc etiam Rex indicat in eâ in-
scriptione, quam honorandæ legi Dei, ac Patri
condecorando, marmori incisam, ante fores
templi Christianorum fecit appendi. Gloria-
batur quippe, quod dum ipse imperium hoc
suum auspicaretur, eo ipso tempore correctum
jam Calendarium, & omnibus numeris absolu-
tum sit præsentatum: Nemo, inquit, miretur
me virum hunc colere & singulari benevolen-
tiâ prosequi: Nam quamprimum cœlum mihi
imperium concessit, hunc etiam virum mihi
inde submisit, qui tam egregium opus offer-
ret: meritò igitur quasi de cœlo delapsum sus-
picio.

Sunt Tartari supra Sinenses superstitiosi,
qui ex minimo casu illico omen accipiunt, &
de futuris augurantur: portento itaque illis o-
mnium maximo par fuit, quod negotium tan-
ti momenti, qualis est instauratio astronomi-
carum rerum nec seriùs, nec citius evenerit,
quam quo tempore imperium ipsi capessere cæ-
perunt; Quod idcirco æternis sæculis duratu-
rum credunt; quandoquidem à quatuor milli-
bus annorum nulli familiæ Imperatorum conti-
git, ut tanta imperiorum conjunctio, multò
minus tam exacta rerum cælestium computatio,
& astronomiæ norma ad omnes etiam regni
provincias extensa contingere.

Per

Per idem tempus Coreanorum Rex, quem
Tartari antea in Cœâo Tūm novam curiam
suam captivum abduxerant, promissâ libertate,
quam primum Chinense imperium obtinuissent,
nunc libertate donatus aderat. Hic astrono-
mum Europæorum aliquoties humanissimè in-
visit, & eâdem humanitate hospitem in Palatio
suo accepit. Adduxerat è suis aliquot, qui Ca-
lendario in Coreâ cum officio præerant, ut ex
astronomiâ luculentius aliquid addiscerent,
quod in Patriam reportarent. Lubens obsecu-
tus Pater adeò sibi Principem & homines istos
devinxit, ut præter munuscula non contem-
nenda, in signum grati animi, cum jam disce-
derent, etiam copiosas lacrymas addiderint:
Regi verò, quoniam literis delectari notum
erat, ut Coreani plerumque omnes solent, ex-
emplar librorum quorumvis, quod ad manum
fuit, non tantum mathematicorum, sed eorum
etiam, qui de lege tractant, unâ cum sphærâ
cælesti & imagine Salvatoris dono data sunt:
Quæ munera accidisse perquam grata sequens
docebit epistola, quam è suo palatio Sinicis
characteribus & propriâ manu ad P. Adamum
Rex Coreanus exaravit. Heri, inquit, cum
insperatum munus imaginis Salvatoris DEI,
Sphærâ, libros astronomicos, aliásque
Europæi orbis scientias complexos, & à te
mihi præsentatos inspicerem, vix credes quan-
topere

40 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

topere gavisus sim , & quantum ab hoc me debere tibi agnoscam: Cūmque ex libris aliquos obiter percurserem adverti ab his afferri doctrinam ad expoliendum animum & virtutibus excolendum aptissimam ; Quam in hoc nostro orbe intellectūs lumine plus quam par est , obscurato, hactenus ignoravimus.

Sacræ Imaginis tanta est Majestas, ut in pariete suspensa, intuentium animos non solum ultrò componat, sed ex ijs etiam fordes omnes & pulverem abstergat. Ad sphæram & libros quod attinet, cūm sint tales, ut ijs carere mund' nequeat, nescio quā mēā fortūā mihi obtigerunt. In regno meo tamen si nō minus tales inveniantur, eos tamen scatere mendis, & ab aliquot fæculis plurimūm aberrasse à vero non diffiteor. Quapropter nunc istis locupletatus, quomodo non ex animo gaudeam ? Quando in regnum reversus fuero , eos non solum in regiam nostram inferam , Sed & prælo datos & excusos communicabo literarum studiosis : Habebunt unde posthac mirentur fortē suam ; quā tanquam ex deserto in Palatium eruditio[n]is translati sunt ; scientque Coreani , se hoc Europæis literis totum debere . Interim quod ambo nos non solum ex diversis regnis oriundi , sed regnis etiam tam longè dissipatis totoque Oceano

divi-

divisis in alieno solo convenientes , quasi san-
guinis fædere juncti amamus invicem , non sa-
tis capio , quā occultā naturæ vī eveniat . Co-
gor fateri hominum animos studijs conjungi ,
quantumvis terris longissimè disjungantur .
Nunc verò utinam tam libros , quām imaginem
mecum in Patriam auferre possem ! Dum e-
nim cogito meos Regnicolas nihil de cultu di-
vino adhuc inaudisse , posséque cultu erroneo ,
quem observant , ejus Majestatem offendere ;
hæreo admodum anxius . Proinde judico i-
maginem veniā tutā ad te remittendam , ne cul-
pam neglectæ reverentiæ , quæ eidem debetur ,
unā cum illa asportem . Meum erit gratitudi-
nis ergò quidquid in patria dignum invenero ,
såltem unum pro decem millibus tibi offerre .
Vale .

Hæc Ille per epistolam ; in qua tametsi de i-
magine remittenda fiat mentio , id tamen more
gentis modestiæ causā additum est . Nam cùm
instaret Pater ; ut imaginem retineret Rex , atque
unum ex Eunuchis ejus domesticis , jam bapti-
zatum , probéque instructum propediem in re-
gnum remittendum significaret , futurum eru-
ditioni cæterorum , qui edoceri desiderarent :
Rescripsit ille denuo ; cum gaudio acceptare
se munus : Mallem verò , subdit , de socijs tuis
aliquem mecum degere , qui & me , & gentem
meam erudiret : Sed quandoquidem , qui
ad-

142 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

adveniat, non est præstò, iste utcunque vices tuas & tuorum supplebit. Non impetravit tamen Rex iste legis divinæ præcones ex Chinis. Imo postea per Tartaros aditu omnino intercluso, in regnum possibile prorsus non fuit eò coloniam ducere; adeò fines custodientibus hostibus, ut numeratos, designatosque tantummodo ingredi & exire regionem eam paterentur: aliunde quoque terrâ, marique, sed frustâ, aditum in Coream Patribus ex Seraphico Ordine S. Francisci investigantibus.

C A P U T XIII.

Multum apud Proceres & in Regia occasione studij Astronomici valet P. Adamus, & inde occasio Christianæ fidei promovendæ.

IN tribunali Mathematico, præter illos qui Calendarium sive Ephemerides concinnant, ab eaque classis suæ nomen deducunt, alijs præterea sunt alijs duabus classibus admixti; quarum altera observat, quidquid ab illa priori computatum est, ex specula supra muros urbis, omnésque domos eminente, in quâ complura instrumentorum genera visuntur ex ære solido, magnâ arte liquata; globi, sphæræ, armillæ, & quidquid ad observationem necessarium videtur. Huic observationum studio totis

no-

noctibus vacant isti ; qui si aliquod phænomenon in cœlo conspexerint , diligenter obser vant , facto mane ad præsidem referunt, qui , si indicandum Regi videatur , ipse denunciat.

Altera classis circa terram occupatur ; ut si quid est publici ædificij , vel quando ædificandum , quo loco , quóve situ , determinet. Ultra que classis nec latum unguem à regulis jam olim traditis deviat ; quod libri , quod antiquitas , quod experientia in præsentibus circumstantijs agendum omittendūmve existimaverint , docet : hunc in modum aut superstitione nimis majo rum suorum industriam observantes ; aut credulè nimis nihil sub Sole novum arbitrantes. Itaque eo sensu , & rerum ordine , quem in libris à majoribus acceptis , colligunt , de suo nec apicem apponendo , vel trahendo , quid agendum denunciant. Nec Præsidi mutare quidpiam licet. Prout enim ab ipsis accipit , ita in libellum supplicem relatum Imperatori indicat. Eadem lege obstrictum se credens P. Adamus , nihil apud Regem nisi veterum placita recitabat ; donec supremus Senator ad se vocato indicavit ; Imperatoris mentem esse , ut quæ viderentur mutanda , vel addenda liberè faceret ; Non dubitare illum quin æquè bene , ac fit à libris , ipse causas rerum ac eventa prædicere possit. Hæc licentia ut plusculum curæ , sic multum quo-

quoque libertatis attulit ; fuitque ad erigendas
ad diviniora mentes, atque ad virtutes concili-
andas peropportunum.

Erat tum in aulâ Fratrum Imperatoris nonus,
sagacissimi Princeps ingenij, & qui haecen' non
fideliter solum sed gloriouse , & cum maximo
Reipublicæ commodo Vice - Imperatoris ado-
lescentuli, quasi tutor, rem gesserat. Verum ut
nullibi desunt assentatores, ita hunc nonnulli ,
quorum operâ utebatur, circumvenientes, pau-
latim ejus animo regnandi cupiditatem instilla-
runt, effeceruntque , ut primò speciosis titulis,
quales sunt Pater Regis & Patriæ in edictis pu-
blicis, quæ nomine suo inscribere cæperat , u-
teretur ; tum ut in fabricâ palatij conditionem
excederet, vestesque sibi Imperatorias , & ap-
paratum procuraret, qui Imperatori, nec alteri
conveniret. Narrare postea rex P. Adamo,
pro Patruo cuius offensas oblitterare ex animo
ut vellet, deprecanti crebrò solebat : se ab his
qui Patruo favebant , sæpius delusum & de-
spectum fuisse : Salutandi quondam Patrui
gratiâ palatio egressum , certâ fide inaudisse
struetas sibi infidias: perrexisse tamen, ac men-
te Palatinis ædibus valefecisse tum quidem, sed
oculos à lachrymis non temperasse ob tantam
suorū improbitatē cui retundendæ impar nunc
esset: Cœlo tamē propitio limen hostile subeun-
tem,

tem à Patruo mitiùs sentiente, jussum se rece-
dere, & increpitos esse ab illo Magnates, quòd
alieno tempore victimam adduxissent: se eum
in modum per ignaviam Patrui ac malevolo-
rum, sibi salutarem, cœlo dante supervixisse.
Hic itaque Imperatoris Patruus animadvertis-
res suas inclinare in occasum, quòd Rex supra
ætatem sapere, & in virum adolescere incipe-
ret, cogitavit aliam urbem non procul ab istâ
condere, in quam unâ secum, relicto imbelli
populo magistratus ac Præfecti commigrarent
omnes, in quâ solus ipse jus diceret, ac impe-
rium gubernaret. Ad perficiendam rem, præter
æs publicum promptæ pecuniaæ destinavit se-
ptem milliones auri, ex ærario levandos: no-
vas populo exactiones, nova vectigalia impo-
suit; quin etiam per singulas domos opifices,
& operas gratis adduci jussit: multis homi-
num millibus huic obsequio mancipatis. Re-
bellaverat per eosdem dies ex Sinensium Du-
cibus non nemo, totam secum Provinciam XAN-
SIM ad occidentem pertrahens, nec erat levis
suspicio, populos recentibus oneribus oppres-
fos, ad hunc citò defecturos, cum periculo a-
mittendi recens adepti imperij; nemo tamen
extitit, qui viri potentiam veritus, ausus fit
decreto operi contradicere, aut obicem oppo-
nere torrenti.

K

Rei-

Reipublicæ periculo , & commisieratione
plebis , nec non perturbationum metu , quæ i-
terum affulgenti rebus Christianis luci impen-
debant monitus P. Adamus , magistratus sui au-
toritate , ac scientiæ astronomicæ apud eas gen-
tes præscriptionibus fultus , causis de cœlo ter-
ráque allegatis , & libello supplici insertis Prin-
cipem à cœpto revocare aggreditur . Jam
manus operi , & ædiles novæ urbis molitioni
instabant , cùm inspecto libello incalescens Prin-
ceps ; ut quid , inquit , iste solus obloquitur ?
reposuit ad ea , qui adstabat , senator ; quando-
quidem ô Princeps , ex officio sibi commisso , &
datâ licentiâ hic Europæus loquitur , non vide-
ri potest limites excedere : si minus solito ei de-
feratur , facile imposterum obmutescet . Tum
verò Princeps iram remittere , & de re propo-
sitâ serio cogitare : die proximâ Patrem evoca-
re in Palatium : agnoscere , & edici voluit , mu-
neris hoc astronomici fuisse talia proponere ,
nec in eo , quod adferebatur exerrari : simul ab
extruendâ urbe destitit , ac misso nuncio cessare
ab opere artifices & dimitti præcepit . Tarta-
rorum juxa atque Sinensium animos rei Chri-
stianæ conciliavit iste eventus . Erant eâ die
quâ edictū omittendæ novæ urbis emanaverat ,
in tribunali ædilitatis septingenti plus min⁹ viri
catenis colligati , quām primū ad opus consti-
tu-

tutum destinandi, aliunde adducti, ac sortem suam miserè deplorantes. Hi nuntio libertatis accepto, vinculis exsoluti; intellexerunt beneficium hoc, ab Europæo Divinæ legis magistro illis impetratum, omnes quâ patebat platea, humili prostrati versùs Ecclesiam caput inclinasse, & gratitudinem, prout poterant, hac corporis demissione declarasse feruntur.

Non multò pòst, peregrè appulso hospites invisurus, domò exiverat Pater, ac primario viro obviam factus pro familiaritate, quæ inter utrumq; erat paulisper substitit, cùm, quòd es- set ejusdem ætatis, æquè barbatus (res inter Chinenses rara) in frequenti plateâ, facto con- cursu multitudinis accurrentis; ille occasionem bene merendi de viro Reipublicæ utilissimo ar- ripiens, concione propemodum habitâ, Patris in populum merita exaggeravit.

Publicam hanc passim commendationem, quam ob res Mathematicas vulgò conseqüebat- tur, Pater in subsidium rei Christianæ solerter conferebat. Quòd regni gubernator sèpius cum eo ageret, quòd astronomicas res frequens perquireret, quòd tormenta ænea, machinásq; bellicas ejus judicio aptandas, atq; emendandas permitteret, cæterorum quóque Ducum animos Patri lucrabatur. Qui tametsi Christianam religionem non susciperent; complures ta- men exinde per Provincias Imperij Pro-

K 2 ges

148 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*
ges facti , fundatæ olim consuetudinis memo-
riam retinentes , socios legis Divinæ præcones
alibi sovēbant, indigenas ad Christum conver-
sos gratiâ & favore dignababant ; quin etiam
pluribus in locis egregij amborum contra ho-
stes Ethnicosevas ère defensores. Latè per im-
perium Chinense excurrebat P. Adami notitia,
quem alij P. Matthæi Ricci filium , alij , quòd
Patri Longobardo assuevissent, ab eodem Lon-
gobardum alterum, alij transcripto in Chinen-
sem idiotismum Joannis Adami nomine , uni-
versim TàM Iô Vám nuncupabant. Præsidium
hoc erat cæteris per regna diffusis commilito-
nibus , quòd inter adversa protectos , inter pro-
spera adjutos se sentiebant. Pater Emmanuel
Diaz jussus ad murorum excubias , domesticos
omnes dimittere , continuò à communi civium
necessitate & labore exemptus est , ubi socium
se P. Adami proclamavit. P. Franciscum Fer-
rari , ut hominem ignotum jussu Magistratūs
illico verberibus subjiciendum , & exilio mul-
tandum immunem à vexatione fecit , quòd il-
lum , superveniens alius , socium esse celeber-
rimi TàM Iô Vám dixerit. Dimissus è vestigio
à periculo verberum , atq; honore , ac depre-
catione erroris cultus. Pater Gabriel de Man-
gilhes , quòd in exercitu Tyranni , regnum Sú
DiuMEU depopulantis , captus esset , jam Tar-
taro cæsariem unâ stringente , & alterâ ensem-
vib-

vibrante decollandus , ictum feralem præstolabatur ; cùm fortuitò alter Tartarus inspectâ hominis barbâ ictum suspendere jubet , ac ferrum sistere : tum quærit ex Gabriele , num Tām Iō Vāmūm nōsset , illoq; tremulâ voce fratrem suum esse hunc , & natu majorem replicantevitâ ipse ac socius , ejusdem fortunæ collega donatus est. Ductus præterea ad regulum eâdem de causâ non ut in bello captus , sed Ducas ipsius , non secus ac P. Adami socius eximiâ benevolentâ cohonestatus est : Astronomiæ studio hunc in modum efficacius in sublunarib⁹ operante ; quām quâ ratione per astrorum conjunctiones & influxus aliquando ipsa divinat.

Duo singularia memorare convenit , quorum alterum Reipublicæ commodo ; alterum ethnicæ superstitionis incommodo , per eandem Tām Iō Vāmī existimationem perfecta sunt. Obierat redactâ prius ad obsequium XANSY provinciâ , Regis Patruus , regni gubernator ; ipseque decimum quartum ætatis annum complexus Rex , ad clavum assidere cæperat. Dum acta Patrui rescinderet Imperator , solenni in Regulorum ac Magistratuum conventu , professus est , multum se Europæo , Divinæ legis magistro debere , qui præterquam quod prædixisset , Dynastarum quendam involaturum esse dignitatem regiam , ac non multò post peritum (quod quidem gliscente ipso

150 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

ipso dissidio pronunciatum , atque , quo ad eventum , tantummodo omen fuerat, feditiosiss plerumq; impendens ; à D E O tamen in fines eminentiores valde regio pectori infixum) plurima quoque alia imperij commodo , & ornamento indies moliretur.

Usus opportunitate Pater binos libellos Regi præsentat , quorum unus petebat instauratiōnēm Palatij , à Latronibus combuisti , & magnūm urbis ; statim omnium applausu ac potissimum Regis exceptus , atque executioni demandatus . Alter Bonziorum superstitionem impetebat. Suadebat hic Regi nequaquam se ab infimæ sortis hominibus abduci patiatur : Regiam majestatem dedecere vulgi præstigijs & postremorum mortalium iudicijs auferri : Ipsos ad erudiendum regem nec doctrinā nec virtute ~~valere~~ . Eorum itaque templa & turre (quas TAM nuncupant) ne erigeret , prout decreverat : Somnia & deliria esse , quæ evulgent de expulsione Dæmonum , de instauratiōne sanitatum & morborum per eorum ritus profanos proscriptione. Nullam illis potestatem ad hæc patranda conferri , minus innasci: Spiritus equidem ab hominibus interdum , sed virtute , non armis , aut dolo cogi . Erecta in murorum pinnis vexilla , quæ in finem arcendorum dæmonum illi defixerant , ludibrium esse ventorum , non spirituum vim averruncam :

Aliunde

Aliunde illos in urbem penetrare posse extra vexillorum conspectum ; subtus muros insinuare se , per terræ viscera irrepere , ex medio aëre decidere posse , si permittantur ab arbitro universorum Numine : impervium nihil esse illis, qui ex elementis compacti non sunt : corpora corporibus duntaxat obstare : Spiritus ul- tro citrōque commeantes prohibere minimè.

Incusserant Regi metum turpissimi Bonzij , nisi postulata exequeretur , atque insuper discipulum se illorum profiteretur , hoc ipso anno , octavo mense moritum. Addidit enim vero Pater : satis sibi constare falsa illos prædicere : nequaquam Imperatorem , quidquid adversum ageret , prædicto mense moritum ; D̄o potius largiente diutissimè , ac feliciter regnatum. Non esse Bonzios Dei consiliarios , qui futurorum eventuum arcana , soli illi explorata , simul inspiciant. Nihil in natura præsto esse , quod præsertim imperitis istis , ac rudissimis hominibus , sequelam faceret legitimam , adeò lugubris fortunæ. Superstitionibus alias ex genio patrio Imperatorem tanto promptius , quanto adolescentia volatilior est , deditum , à Bonzij amoverunt ista. Non Proceres , quod se more solito componerent ad vultum regis , opponere ; non Regina mater , quod fœmineâ indole his delectaretur amplius , quæ speciem

K 4 pul-

152 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*
pulchri præferrent, dissuadere sunt ausi; unus P. Adamus non magno momento desiderata feliciter perfecit.

Ferunt Regem, cùm libelius hic prælectus esset, dixisse: scio pleraque, quæ senex ille haetenus suggescit, effectu comprobata fuisse: ánne fidem hâc ei in causa derogabimus? dolendum! non citius nos admonuisse! Jam quippe prima turrium è fundamentis emerserat, ex terra aliquot cubitis eluctata: supererant quatuor aliæ nondum cæptæ. Jam in monasteria & delubra Idolorum decies centena aureorum millia enumerabantur præter immanem ædificiorum materiam, quæ substructionibus amplissimis erat decreta. Tepere itaque animo sensim Rex, atque à proposito manum retrahere. Ne quid tamen inconsultâ Matre, quam plurimum reverebatur, omitteret, libellum thecâ inclusum & obsignatum eidem per apparitorem submittit. Ut vidit Regina, ac, quæ continebantur, legit, demisso capite, seu approbans quæ dicebantur, seu de facilitate sua in immeritos homines erubescens, nihil respondit. Interea libello, quamvis de more post triduum necdum publicato, ut Bonzij operis supersederent omnibus mandatum est: atque ita speratis favoribus superstitionis homines ejecti. Tribunal rituum recenti insolentiâ offensum severius in eosdem animadvertis.

Eo

Eò quippe proruperant arrogantiæ ; ut eorum quidam humeris hominum delatus , usurpato titulo Regio , & satellitio stipatus invehetur. Fastum hunc in mendicitate meritâ reprehensione Senatus coërcuit.

Agebatur annus quinquagesimus primus supra millesimum sexcentesimum , quo Rex venatum extra muros Regiæ Aquilonares profectus , totam ferè Nobilitatem , Matre cum Regulis in urbe relictâ , secum pertraxit. Per id tempus fœminæ tres domum Patris ingressæ , fingebant se esse ex Reguli cuiusdam notissimi Familia , missásque ab Hera , ut de salute filiæ morbo laborantis inquirerent : ajebant , illam diebus aliquot gravius decumbere , matréisque diffidere Medicis ; Patris Europæi sententiam expectare : Nihil eum uspiam latere posse , omnium jam opinione , increbuisse. Daturus Pater aliquid vulgo confirmatæ , & vero proficuæ rebus Christianis de se existimationi , plurimùm autem spei de Divinâ gratiâ , ac rebus sacris conceptæ ; exorientis morbi momentis , applicandum obtulit sacrum cerei Agni Dei amuletum ; iussitque bono deinceps animo esse: hoc præsidio munitam ægram intra quatriuum convalituram. Recedunt hilares , & quinto die reduces adferunt ducentos aureos , cum pannis septem , vel octo damascenis auro intertextis , mu-

nus pro impetratâ Dominæ junioris salute, quam Patri intra prædictos dies acceptam afflita cæteroquin Mater referret. Hæsitanti, an minimè vulgare munus susciperet, quod causa muneris non satis liqueret, scrupulum extorquent illæ, ajentes Dominam suam Dei honoris, quem coleret Pater, hæc destinasse. Suspicari, quid ageretur, animadversum, postridie sacerior altera fœminarum, unâ duntaxat ancillâ comitante, convénit, aliósque aureos centum offert; pro cerâ, inquiens, aliisque ad Sacrificium Divinum necessarijs coëmendis. Tum exponit Reginæ matris pedissequam se esse, eamq; quæ decubuerat, puellam futuram proximè Reginam, jámque Regi desponsatam, atque interim dum nuptiæ celebrentur, quod octavo mense futurum erat, apud Reginam Matrem educari; addidit istam denunciare, se Tâm Iô Vâmo planè obstrictam, imposterum Patris cum loco habituram: vicissim ipse tanquam filiæ significaret, quid ab ipsa præstari, quid impetrare vellet, omnia promptissimè executuram.

Somnio propior tota relatio videbatur. Rogat nihilominus renunciari Pater: ab Imperatore, Reginæ filio, satis liberaliter se se, atque etiam in honore, ac dignitate, supra meritum haberi: medijs ad vitam sustentandam necessarijs affluere;

fluere ; lätari quod Regina mater in suam quasi familiam se adsciscat : ob id , imposterum nullâ re defuturâ , nihil ultra desiderare posse : vice versâ DEO supplicaturum se , ut tam eximiæ beneficentiae retribuat. Ne præterea Reginæ promptitudinem differret , ad exequenda quæ suasurus esset , inclinatam ; addidit : Videri sibi patrocinium Bonziorum apud ipsam moderatione indigere , ne cùm ipsa Imperij Sinensis Domina ac Mater sit , exemplo suo alios ad excessus istos pertrahat , cum certo animarum dispendio , nec sine secuturo sibilo prudentium. Omnia ad votum renunciata Reginæ sunt . Quin etiam pedissequa postero die responsum attulit : Fateri equidem Reginam , se haecenus impensè favisse hominibus illis , idq; toti imperio constare ! non posse momento universam illorum curam deponi : promittere tamen in nulla re Rempublicam concernente cum illis communicaram sese ; imò pedetentim subdueturam se ab eorum consuetudine. Mirum , quod cùm Bonzij de Patre Adamo in aula conquererentur : nunc præstigiatorem compellantes , Reginam tamen exinde , quæ merito poterat cautelis uti , non solùm non aversam , sed supra quām credi potest continuato affectu obstrictam mansisse. Ubi nuptiarum dies advenit , cum Optimatibus ab Imperatore convivio exceptus est Pater ,

&

& necesse fuit, totum ferè diem intra Palatum consumere; quod honori Principum apud Chinenses fieri assolet. Gratum sibi istud obsequium testata Regina, postero die misit pedissequam, de valetudine (usitato salutandi genere) percontari. Cùm iteratò paucis interjectis diebus, ob noviter auctos Reginæ titulos, insignum gratulationis Regiam fuisse ingressus; non latuisse ipsam, hoc sui gratiâ venerationis genus præstitum ab eo, qui liber alioquin à publicis hisce Aulicorum officijs foret, demonstrans, misit eandem pedissequam postridie, gratias super hac honoris significatione sibi impensâ acturam. Addidit pro munere duas armillas aureas ab ipsamet gestari solitas: quas eodem tempore brachijs detractas pedissequam confignaverat Patri deferendas. Parantem flexo genu, ut moris est, Regium munus accipere, prævertit internuncia; utique de Reginæ mandato: Quandoquidem, inquit, non alio nomine, quam patris, te Reginam compellat, ægræ laturam reor, si filiæ loco non magis, quam Reginæ, eam habeas. Intervenerat fortè famulus domesticus, nescio quid de bove emendo, & in villam deducendo suggerens. Notavit alloquium mulier, & tanquam aliud audisset, dissimulato tum proposito, post triduum reddit unâ adducens boves duos egregios, quos Patri, ut ajebat, Regina Mater in usum

sum villæ submitteret. Et unde, inquit, Pater, Reginæ notitia de villa mea, & bobus? subridens illa; etiam Regina, inquit, demiratur; unde Patri suo tanta diffidentia, ut cùm tantillâ re indigeret, apud filiam non requisierit. Pro hisce tamen omnibus Regiæ benevolentiaæ tesseris, nihil nisi duo sacræ ceræ amuleta, infra mediocritatem concinna (cùm meliora deessent) redditâ à Patre; unum Imperatrici; alterum Reginæ Matri deferendum; capsulæ, etiam qualicunque inclusum, acceptumque pariter, ut retulerunt, animo gratisimo.

Addiderat muneri Pater, ut sacrum amuleum collo appensum interdiu Regina pallio contegeret; ratus incurfurum aliâs oculos circumstantium, & fortè non omnibus æquè placitum. Scrupulosius Regina, quâm parerat, executa monitum est. Elapsis enim diebus aliquot percontari jussit; num hæc cerei Agni occultatio sit omnino necessaria? Negante illo, responderunt pedissequæ: se lætas hoc nuncio redire scrupulum Dominæ exempturas; utpote quæ opinabatur, se errasse; quòd contra præceptum non intus, sed foris quóque extra regium cultum, non coniectum, & nudum hæcenus Agnum Dei gestâsserunt.

Iterum propter auctam dignitatem, unâ cum compluribus alijs, Regi acturus gratias, in Pa-

Palatiū reversus Pater tempore instante, quo si-
mul universos procumbere in genua oporteret
de more capita inclinaturos, motu proprio Rex
moneri Patrem jussit, ne cum cæteris genua
flechteret: se ab hac cæremonia illum una cum
duobus è supremo senatu, & quatuor summo-
rum tribunalium Præfetis exemptum velle.
Qui honor primi tantummodo ordinis Proceri-
bus deferri solitus, argumentum meritò fuit
gratulationum ab amicis postea consecuta-
rum.

Certè Imperii mutatio non eadem, & felici-
tatis Christianarum rerum fuit: Regem visa-
est missio, non Regis propensionem mutasse.
Imò qui non rerum potiebatur, eo in genere
cœpisse primum notatus est P. Adamo; in quo
antecedens postremò defecerat. Ille enim
suæ prudentiæ præfusus longam præmittebat
experientiam, & cautelam donec fidelem ex-
pertus, ac probè notum perspectumque cole-
ret: residentibus ita in postremos imperij an-
nos favoribus, qui neutri tum prodeesse amplius
potuerunt. Hic verò concedens aliquid
exploratæ jam fidei, honores statim expedire
voluit, quibus tanto certius probaret constan-
tiam Patris in bene merendo, quanto cumula-
tius, eidem priùs benefecisset. Evidem de
aura Regia gloriari circumspectæ mentis non
est: & confirmatū legimus sacro oraculo, quod
præstet sperare in DEO, quām in Principib'. Com-
per-

pertū tamen etiam est, medijs humanis DEUM uti
suis in finibus persequendis ; atque ex ijs effi-
cacia esse, quæ excellunt potentia: viciniora
demum ad sequelam impetrandam virtutis e-
xempla esse , quæ ex prætorio & actionibus
Imperantium præleguntur.

Nec Filium Imperatorem documentis identi-
dem destituebat Mater. Dum in aditu templi
opere Europæo arcum triumphalem è candido
marmore DEO , ac DEI paræ moliretur P. A-
damus; ut rescivit illa, statim largâ manu pecu-
nias , non rogata , subministravit; se quoque
meriti alicujus apud Deum Christianorum par-
ticipem fieri velle denuncians. Decumbebat
eodem tempore in decimum diem morbo affli-
cta : non ausa sacrificium , aliâve pia opera
indicere ; plurimâ tamen cerâ templo submissâ
petijt se DEO commendari . Consuetâ in
DEUIM fiduciâ spem yaletudinis fecit Pater
in diem posterum, quo sanè , DEO dante, ino-
pinatò ab ægritudine est re-
creata .



CA

CAPUT XIV.

*Occasione Astronomiæ præclara documenta Regi
dantur.*

EX observatione siderum, combinare soli-
ti erant Mathematici regij, futuros even-
tus in sublunaribus. Atque ut fidem face-
rent indicijs, non de suo ea proferebant; sed
collatis, transcriptisque plurimorum autho-
rum sententijs, ab autoritate venabantur suf-
fragium mendacio; vel indecisâ opinione libe-
rum relinquebant Regi, ut, quid ex allegatis
Scriptorum opinionibus certius eventurum
sibi videretur, ipse deligeret. Planè istud qui-
dem insipidum, & nullatenus regi aut regno
proficuum; quandoquidem, qui discernere
vera à falsis non vellent, injurijs videbantur;
& qui non possent, imperiti. Istud officij
cum Magistratu, in Tàm Iô Vám seu P. Ada-
mum, ejusque tribunal, devolutum fuit. Mul-
ta initio consuetudini dare oportuit: plera-
que deinde non ita comprobandis judicijs a-
strorum; ut promovendis cœli ac virtutis do-
cumentis admovere piâ arte placuit. Si ex-
igui momenti prognosticon erat, regio exami-
ni totum, ut alias, permittebatur: si dignius con-
sideratione, opinione Præsidis præmissâ illu-
strabatur commentario auspicium. Si occur-
rebat regius error corripiendus, ne juveni pu-
dor

dor in publico suffunderetur, clam & paternè, rogatāque priùs veniā id erat præstandum. Si imperij conditionem & reipublicæ statum concerneret, ad Senatum simul atque ad Regem intererat destinandum. Si utriusque res ageretur, ad calcem libelli, conjecturæ personam regiam concernentes ; reliquo in contextu communia, quæ impendérent, exponebantur. Inferebatur potissimum prognosticis id, quod temporum ac rerum circumstantiæ secum potius, quam astra deferebant. Videlicet: ne Imperator Magistratibus promiscuè confidat, quos artibus, quæ subiiciebantur, facilè varios perspicere & experiri posset: Ne abjectæ sortis homines, ut sunt, Agyrtæ, Comœdi, similésque, quibus regem delectari ferebatur, intra palatium admitteret ; præsertim si quos constaret perduellibus & Imperij æmulis obnoxios fuisse: Ne equo vectus (quo gaudebat plurimùm) adeò per devia & avia decurreret ; periculum à lapsu equi, aut à malè præcincto jumento per proditioñem metuendum : Ne sclopis admodum occuparetur (cùm Ho! Landicis nuper in regnum illatis curiosè insisteret) rerum artificem illas machinas nō semper compingere absq; defectu: Non deesse memorie exempla eorū quorū existentia latentia in sclopis pericula signata sint. Celari in mercib', quæ vendunt. plerumq; errores,

L

qui

qui se usu deinceps prodant : Patrias operas
præferendas alienigenis , tutas periculofis. Ne
avidus nimium destinata conjectaretur : solere
illum sylvestribus feris & avibus , intra muros
palatij habitantibus , conficiendis nimium insi-
stere : ejus ingenij esse ut destinata , quæ animo
concepit , vel manibus subjecit , non dimittat
penitus , nisi perceperit , aut confecerit : a-
stus istos aut valetudini incommodeare , aut a-
lia detrimenta accersere. Moderationem è cœ-
lo & terra suaderi : hæc vires ad majora fir-
mari , quas in exiguis atterere non foret lauda-
bile.

Hæc ubi circa aetiones plurium oculis sub-
jectas pro occasione insinuabantur ; alia quo-
que pari opportunitate , quæ privatam institu-
tionem spectant , tanquam dictata ab astris aut
rerum eventu instillabantur. Ante conjugium
nonnihil indecentiūs & fastigio indignum de-
rege audierat Pater. Statim tum libello , tum
voce tantisper declinantem revocaturus ad fa-
mæ integritatem , advolat. Tergiversari ille
primūm ; tum iracundiæ verecundiam affun-
dere : demum discedere quasi desperatā re-
parantem monitorem , reversus ad semet re-
gius animus revocare , rogaréque potius ,
quam imperare ; ne imposterum ab hujus-
modi quoque admonitionibus abstineat : Li-
bentissimè auditurum se , & vero etiam emen-
datu-

daturum, si Patris opinione non tantum, sed & facto delinqueret. Tum epulo recreatum gratiâ atque honore multo prosecutus abs se dimisit.

Conjugio inito, simile aliud de Rege rumor attulerat. Adest iterum Pater, ac præmisso libello admissus ad colloquium, excusare parantem nihilo emolliendus interpellat; in mentem nuper dicta revocat & confirmat; donec salva omnia ex vultu suaviter erubescente conjectans, recipientem se ad interius conclave dimisit. Non diu abditus latuit: Mox quippe regressus placidissimo vultu: ejus! inquit, MAF-FA (sic honoris causâ P. Adamum compellabat, estq; agnomen senioribus, & non nisi multa canitie venerandis, à cæteroquin æqualibus, sed junioribus debitum: latinè dices: Senex Domine: ecquodnam peccatum gravius, luxuria an avaritia? (de altera quoque alias jumentem notaverat; obiter tamen, & cum nullâ, aut exiguae offensâ) reponit Pater: Avaritia quidem plures exasperat; quando præfertim cum injustitiâ committitur, charitate caret: gravius tam D E U M quam homines offendit. Sed luxuria præfertim in Magnatibus plures exemplo commaculat; ideoque periculofior: utrique tamen unum commune, quod peccati reum æternâ morte condemnnet. Hæc propositione aliquantulùm considerata, capite annuens, ut sæpe rediret Pater,

L 2 admo-

admonuit. Tum quòd in villâ esset, convivio lautiore exceptum dimisit.

Rursum de nonnullis illato sermone interrogavit: Ecquænam causa, quòd Præfecti & Magistratus plerique adeò se in regni negotijs negligenter gerant, cùm tamen tantâ eos indulgentiâ complectar, & minimè molestus sim? Promptiuscule respondisse visus est Pater: Æstimo, Domine, hoc inde evenire, quòd se universi Majestatis vestræ exemplo accommodare gestiant, quam fortè in pluribus negotijs vident obiter advertere, acsi de imperio non admodum curaret. Insperata confidentia, quia negare desidiam aliquam non poterat, totum animo commovit. Dicto perculsus recessit: jussit tamen potum, quo Tartari hospites excipiunt, propinari. Conjecit Pater potius conscientiâ mentis, quâm rigore verbi læsum abijisse. Frequentissima hæc eruditioni Regiæ & virtutum amori instillando, ac præparando ad Christum affectui, per concessam libertatem, identidem accidisse refert Pater Adamus nec mensem fecerat, quin talia semel atque iterum suggereret. Rariora, & à quibus multùm timeri, vel expectari poterat, longiore sermone & composito libello, aut quotidiano captatu discursu cœteroquin exequebatur.

Bonziorum Principi insequens vexatio apparata fuit. Lamarum, ac Bonziorum idem nomen

nomen est. Horum caput & coryphæus in re-
gia expectabatur; Is erat Thaleti Regis frater: forte ille ipse, quem Pater Antonius Andrada Lusitanus cùm Regem illum inviseret, ibidem adhuc Juvenem conspexit, nihil tamen honoris tanquam Sancto deferendum, uti rex ille innu-
ebat, rectè judicavit. Hic, cùm jam propè ad
confinia Chinensium pervenisset, trahens se-
cum tria milia Laimarum, & à triginta millibus
occidentalium Tartarorum honoris causâ con-
comitatus. Statuit Imperator, nescitur unde
inductus, honoris etiam causâ huic obviam ad
confinia procedere. Rem indignissimam pro-
hibiturus Pater properè currit, & tam libel-
lo quam verbo, ne faciat, suadet: Indignum es-
se affirmans tantum Monarcham uni Bonzio,
cīque extero, prodire obviam, cum æternū u-
tique duraturā probri memoriā, & exemplo
tanti dedecoris ad posteros transituro. Sua-
fit, ac persuasit; animitus repugnante pro Bon-
zio Regis Patruo, & fratre Notho hominum il-
lorum fautoribus. Decernitur exinde, ut fra-
ter longius procedendo hospitem excipiat: Pa-
truus verò ad Portas urbis ambos expectet: Rex
ad ferarum saltum ab urbe leucâ unâ dissitum
profectus, ne in Palatium admittat, foris adve-
nam, ut consulatet, ad futurum. Adductus à
Patruo ad Imperatorem est, Bonzius, in folio
suo sedentem, & pluribus Dynastis ac Regulis

L 3 sti-

stipatum ; cui proprius accedenti assurgens Imperator , manu prehensum , hoc uno indicio honoris , ad dexteram deduxit & inter Regulos sedere fecit. Fertur , Bonzium , statim ut frater regis obviam factus occurrerat , solicite exquisivisse : ecquisnam Imperatori à consiliis , aut cuiusnam judicium proniūs sequeretur : cumq; audisset Europæum esse cognomine Tám Yo VAM , statim vela ut dicitur obvertisse vento , & approbasse. Certè Europæus , ille Consultor , ubi ad Imperatorem pervenit , apertissimis verbis pleraque quæ superbissimus Lama abs rege postulaverat improbavit . Instabat ille , ut se Magistrum discipulus Rex acciperet : ut malos Dæmones timeret , solâ Lamarum virtute avertuncandos : Ut Bonzios supra conditionem cæterorum coleret . Non attendens quid tantum Monarcham deceat ; non edocens quid primū colat ; quid deinde cæterorum , quibus præst , imitationi magis , quam genio suo & fortunæ præstet . Abunde documenti relicturus , si monuisset , quemque officio suo satisfacere rite teneri , Regem regio , Bonzium suo . Effecit tandem Pater , ut Imperator primò nuperum illum regio titulo clarum ad extremas LEÃO TUM Provinciæ oras ablegando , proscriberet ; atque hunc , cùm non adeò multos dies Pequinī quievisset , donarijs & divitijs oneratum ad sua remitteret .

Put-

Putabant Tartari istius adventu imperium sanctificatum iri, & omni prosperitate stabilendum; at secus accidit. Nam & militum strage & adultis simul, ac parvulis exanthematum veneno, seu morbillis, passim sublatis; subsecutâ quin etiam fame & plurimorum interitu miserè vexatum est. Plebe ad hunc modum in desperationem prope versâ, patuit aditus superstitionibus expugnandis, & Regi veris virtutibus persuadendis, ac potissimum ijs, quæ in communi vastatione populi, opera misericordiæ, postratos animos allevantis, vocantur. Monito obsecutus Rex indigentibus afflictisq; per amplissimas eleemosynas succurrit, collatis in urbanos pauperes quadringentis aureorum millibus. Item anno sequenti cùm pluvijs totâ sextâ & septimâ lunâ decidentibus inundatio non solum agros, sed & urbem obtrivisset, ut plurimæ, ac primùm egentiorum domus corruerint; iterum rogatus iterum paruit, in urbanas octingentis aureorum millibus, in finitimas urbes per Præfectos ducentis quadraginta millibus erogatis.

Morabantur in curia noñulli mercaturâ facientes supra modū opulentis; sed qui sub hoc sapiro destinata alia tractabant; reverâ enim prædonum Asylum erant; qui malè parta, ac prædas cū institorib⁹ illis dividentes; ubi deprehensi trahebantur

bantur ad pœnas , eorundem ope pecuniariâ aut etiam vi , de judicu , ac lictorum manibus eruebantur . Convicti de maleficio mercatores , admissa crimina morte luerunt . At iij ad quos executio pertinebat , ex fortunis horum fisco adjudicatis , impinguati , cupiditate promovendarum facultatum inescati , effecerunt ut ab improbis hominibus plures alij mercatorum per calumniam , tanquam complices priorum , accusati , & in vincula conjecti sint ; in quibus non modò per Magistratum , quam per lictorum etiam hirudines exfugebantur . Innocentiæ patrocinium , veritate per P. Adamum compertâ , suscepit Rex ; tum quod metus esset , ne institoris exteri , ex improba vexatione istorum perterriti , cum detimento curiæ , omnino à commercio cessarent , tum quod inquisitione factâ innoxios , qui detinebantur , reperit . Eâdem quâ justitiæ fuit admonitus die liberos ex carcere dimitti imperavit .

Clementiæ alterum Rex dedit . Moris est , ut quotannis unus è Magistratu ad alias Provincias mittatur , ibidem reorum omnium causas discussurus . Suprema hic cum potestate rem agit . Si quem injustè detentum , vel defectu pecuniæ , & patrocinij in vinculis relictum deprehenderit , illico dimissum libertati restituit . Usitatum quoque illud : ut insigni aliquâ causâ acce-

accedente, velut si Princeps nascatur, si Imperatrix coronetur, si eximium aliud continget; Rex ultiro, generali remissione criminum, reos omnes absolvat, paucis quorum publica, & imperio præjudicialia forent crimina, exceptis. Utriusque moris ea ratio esse fertur: quod cum natio potissimum Sinica in discutendis causis immanes moras necat, immo interdum illi ipsi Misericordiæ Procuratores a Regemissi, nisi munera dederis, innocentiam non satis tueantur: hoc pacto universis provisum videatur, dum toto Imperio, quasi Jubilæum quandoque celebratur. Suasit opportunè Pater, ut nullâ expectatâ causâ, motu proprio, ob perpetuas ac communes calamitates, tale quid largiretur Rex, animis subditorum pleniùs sibi conciliandis: Fecit; nec tantum reos, & vinculisi detentos solvere, sed Magistratus quoque omnes ad officia majora evehere, vel præmijs decretis honorare constituit. Priusquam verò totius rei ordinem promulgaret, triginta capitulis comprehensum, per quendam ex Optimatibus, adjuncto ei puero Nibili aulico, ad Patrem misit, chartâ manu propriâ obsignatâ; ut inspiceret, & si quid addendum vel corrigendum videretur, liberè ediceret; ac demum pariter, obsignatam Europæis litteris syngrapham remitteret. Collaudata primùm Regis clementia fuit pro meritis: tum

L 5

ub

170 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*
ubi res prodijt incredibili omnes lætitia af-
fecti.

Persuaserant Lamæ Regi ; ut quoniam so-
lus jam imperium gubernaret , in LEÃO TUM
orientale Regnum , ubi nuperi Imperatores ,
Pater scilicet & Avus Regis humati erant, pro-
ficiuceretur ; gratias ijs pro dilatato imperio
acturus. Jámque diem edixerant maturando
itineri. Minimè circumspecti credebatur esse
confilij intempestiva profectio , eo planè tem-
pore , quo Provinciæ aliquot nondum pror-
sus edomitæ , animos resumpturæ ad ciendam
rebellionem videbantur : jámque ex Regiæ in-
quiliñi multi müssitabant : Regem de tam vasto
Imperio sibi penitus adsciscendo desperare :
ideoque contentum ijs , quæ extræ possidebat ,
Provincijs, hoc prætextu fugam meditari. Hæc
Pater , uti ferebantur , ad Regem detulit , mo-
nuítq; inter Lamas plurimos esse ex Xènsy
Provincia , Latronum nuperorum conterra-
neos ; qui optarent ipsum ultra centum Leucas
abesse , quò faciliùs motus concitare , ac sedi-
tionem factiosorum possent prosequi : consul-
tiùs facturum , si vices suas alijs ad parentum-
tumulos delegandis committeret ; ipse vero
traditum à Majoribus imperium præsens mo-
deraretur. Idem iterum , ac tertio consulenti , tandem omnium gratulatione persuasus Im-
perator assensit.

Præ-

Præfervidam cupiditatem eventu non absimili coërcuit, quando venandi desiderio illestitus, destinaverat ad illos mille Leucarum muros, qui Chinam à Tartaris dividunt, excurrere. Hoc tametsi omnes ægerrimè ferment, atque egentiores maximè passim conclamantes ad exitium, & in mortem se pertrahi; nemo tamen qui dissuaderet accurrit: jámq; Reguli plerique ad iter, equos non paucos, de more Principi dono miserant. Populi calamitatem miseratus Pater, Imperatorem adit, & nullis præmissis ambagibus efficaciter profectionem dissuadet. Replicat ille: se cum Optimatibus ac Regulis jam pridem de negotio consultâsse, omnes, refragante nemine, consensisse. Reponit Pater: Si Majestas vestrainclinationem ad iter ostendit suam, quis temerarius contradixerit? at si vota pauperum requirat, qui nec quo vestiantur habent, minus arma, equosque, ad longinquam expeditionem necessarios (solent Tartari armati ad venandum exire, nihilo seciùs, quam si ad bellum procederent) hujus certè sententiæ nullum prorsus inveniret ad stipulatorem. Circuspiciat Majestas vestrâ tentoria suburbana, sine foco, sine obsonio, propè vacua & ventis pervia: si hæc in urbis oculis, apud lares domesticos sufferre miseris necesse est, quid erit, ubi ad illa deserta, quo tendunt egentissimi hominū, pervenerint? Oro

sup-

supplex & obtestor ; Regia desideria bono publico attemperet ; priusquam populo ad profec-
tiones supervacaneas utatur , eidem domi ,
quod Regiam personam custodiat , de necessa-
rijs prospiciat. Nihil ad ista tum Imperator ;
attamen domum redux Pater , respexit turmas
equorum insequentes , rogans quid rei aut cau-
sæ ? equos Regulorum esse intelligit , quos Im-
perator remittebat Dominis suis , nequaquam
aliò profecturus. Post aliquot dies in Curiam
reversus reperit non solum domesticos Regis ,
sed gregarios quoque milites , singulos veste
pellibus instratâ à Rege donatos.

Intellexerat ab amicis Pater , Imperatorem
adversus quinque ex præcipuis Tribunalium
majorum Præfectis , oppido gravem iram con-
cepisse , jámque edictum eos proscribendi , &
ad ultima Tartarorum confinia ablegandi , de-
disse. Digni erant commiseratione , quod Chi-
nenses essent , & senes. Captavit de indi-
genis bene merendi occasionem Pater , & sup-
plex Regi factus , rogavit , ut pœnam com-
mutaret , quod Sinenses præ cæteris delicata-
tè enutriti , & alienis Regionibus inassueti ,
leviorem , tali exilio , mortem ducerent. Re-
misit ab indignatione Imperator admonitum ;
atque edictum , quod à supremo Senatu jam-
jam evulgandum supererat , revocari , uti &
pœnam , voluit. Patronum suæ causæ ali-
quam-

quamdiu ignorarunt rei, postea tamen agnatum complexi sunt amantissimè, & Patronus, unico beneficio, plurium invidorum ora conclusit.

Vetus Lex Tartarorum est; ut si in prælio, Regulorum aliquis intereat, reliqui Duces capitibus damnentur, nisi evidenter probent, se ipsius Reguli jussu, alijs occupatos, prælio, aut defensioni absfuisse, quin subsidium perituro commodarent. Contigit anno seculi quinquagesimo tertio, unum de Regulorum Primitibus, pro archistratego cum copioso exercitu contra Australes perduelles dimitti. At ille gloriæ cupidus præfestinavit, suâ opinione prærepturus palmam cæteris Ducibus: ac replicaturus illud Romani, Principis: *Veni, vidi, vici.* Contrà tamen evenit. Uti præcox advolaverat ipse, ita quoque hostis improvisus adfuit. Tum jam merito veritus, ne adventante adverso exercitu, tergiversari visus, imperio ac sibi timiditatis labem aspergeret, citato agmine socijs non exspectatis in hostes irruit: a quibus numero longè superioribus circumseptus, undique cæditur, ac demum quamvis fortissimè dimicans, post equum, cui insidebat, telo confossum interimitur. Jam occubuerat, cùm Socij longo ex itinere defessi advenere; nihil tamen animo dejecti, cum viatrice illa hostium multitudine configunt, & occisis supra viginti millibus cæteros profligant, ac

suum

174 *Initia Expedit. Christiane ad Chineſs.*

ſuum Ducem quamvis non ſuperſitem , ſaltem mortuum recipiunt . Fuit iſtud non leve attenuandæ culpæ præſidium ; nihilominus ad Regiam evocati ducenti & amplius Nobiles , atque inter eos quatuor Reguli , omnes in vincula coniecti ſententiam mortis præſtolabantur : & ne disciplina militaris flacceſceret , nemo petere , nemo culpam excuſare , vel mutire eſt auſus . Rebus deploratis , fruſtra aliunde Patronum circumſpicientes , respirare fecit illatus animo Europæus Sacerdos . Ille ipſe , qui ad bellum nuper profeſturiſ , ſiniſtrum nescio quid , imminere Regulo , non falſus vates prædixerat , & per libellum Regi , denunciaverat . Valuit libelli momoria pro argumento exorandæ Clementiæ , ac culpæ in festinationem incoſultam Reguli , non in cæterorum moram diverſendæ . Rex namque ex Patre , quid poſtularet , intelligens : ergo inquit , tu ſolus ad nutum , & cor mihi loqueris ? optabam & Ego iſs vitam indulgere , ſed , ne adhuc juuenis disciplinæ militaris rigorem primus relaxarem , non occurrebat conſilium . Memini enim verò abſ te mihi tunc iſta , cum metu minimè proſperi ſuſſeſſus , fuſſe relata . Quod ſi ita placitum fuit ſuperiſ , cur , culpam in iſtos reiicimus ? Cui Pater : Demus etiam , ô Rex ! non vacare à culpa aliqua hos iſpos : an non erit glorioſius illis , ac præſtabilius Reipublicæ , maculam , ſi

qua

quæ contracta fuit, heroicis actibus modicam ignaviam suppleturis diluere; quam inglorios omnes, & cum hostium tripudio potius, quam sensu mori? Vitâ hunc in modum obtentâ; ne tamen omnino impunè transirent in dignitate tantum, ut quisq; meruerat, plus minus castigati sunt.

Quidam ex optimatibus vir strenuus ac integer, casu, an injuriâ? per suos, res efferri regro prohibitas in Japoniam transmiserat. Delatus est illico, ut læsæ Majestatis reus, eò quod inter illas quædam essent, quæ solius Imperatorij juris haberentur. Comprehensi famuli ac tormentorum vi coacti sunt, ut aduersus Herum testarentur; nec tamen ille propterea in vincula ductus. Visum hoc ex Imperatoria indulgentia fieri, animum fecit ad impetrândam homini plenam libertatem: Quocirca ad Regem Pater: Domine, inquit, hominem istum, tametsi vere reus esset, judicarem tamen absolvendum; quoniam famulis fatentibus, ipse negat. Fides ipsius potior est asseveratione famulorum, à quibus tormenta quidvis extorserint. Novi hominem hunc rigidum esse; ob idque paucis placere; sed Regi & imperio utilissimum; dignum omnino qui Republicæ servetur ad fortunam, cuius indolem præfert, neque in eum præterea inquiratur. Nullum Innocentiae fidejusso.

jussorem potiorem esse constat, nativâ austeri-
tate: nullum obijci calumnijs amplius, quâm
eum, qui placere hominibus raro, aut nunquam
studuerit. Subrisit ad dicta Imperator, &
capite annuens, spem securitatis fecit. Ad
hæc post dies paucos exercitui virum illum-
summâ cum potestate præfecit, & Ducem ad-
versus hostes constituit; quibusdam licet minùs
utum æstimantibus, homini gratiam demerito
exercitum committi. Ille tamen suspicionem
factis diluit; & in præsens usque fidus Provin-
cias integras Imperio subjugabat.

Hæc Patris Adami apud Regem authoritas
tot exemplis comprobata magnum illi, magnū
Socijs emolumentum; rei Christianæ bono,
plurimū subsidij hæc tenus contulit. Gen-
tiles quoque per eum Regi arctius obstricti, pari
curâ reipublicæ commodum, ac destinata Pa-
tris adjuvabant. Ea in opinione haberis
suis in Europam literis ipse perscripsit. Ut si
quid difficile occurrat apud Regem expedien-
dum, qnod subterfugiant cæteri, conclament
illico omnes, id ad Patrem Adamum pertinere.
Hoc nimirum evicit perspecta viri virtus, in-
agendo opportunitas, in suadendo prudentia;
quodque Regi constet, non quæri ab eo privata
lucra, non favores vendi, non emi patrocinia,
non corrumpi auro importunè millies oblato
facundiam; Germanè loqui, quæ rite sentiat;

ta-

tacere , quæ secus approbet ; DEO sic & Regi , ad virtutem promovendam potissimum deferire. Stupebant nonnulli qui Genium Imperatoris nōrañt in iram proni , & amicissimos interdum à conspectu difflantis , tot annis illum tenore eodem cum extero , sine nota sequioris sensūs conversatum. Stupuerint & illi , eundem quoque tenorem agendi , quem servabat iste , passione & affectu , non in partes unquam distractum : quod elogium Patri Rex publicæ illius laudationi , quam suo loco dabimus , inseruit.

Quotiescunque Regiam Pater ingrediebatur , apparitores ac milites , imò obvij quique , assurgere , & Patronum quisque suum advenisse , lætari est visus : Quod si in Regia moram trahebat : nihil referre ajebant : quoniam quamdiu intus est , ad communem omnium nostrum utilitatem laborat . Præter alias tribunalium Præsides unus est , qui Palatio magnâ cum autoritate velut œconomus , præsident: Hoc munus obtinebat veteranus , ejusdemmet officij apud Parentem Imperatoris dignitate functus . Hic aliquando Libellum supplicem obtulit , Regem præterea de varijs admonens . Super sedere verbis jussit Rex : habere se Magistrum suum , inquiens , qui ea omnia , & meliora suggereret (Patrem Adamum innuebat) cæteros ab hoc onere se velle ex-

M

cusa-

178 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*
cusatos : Tum iste : & illum , inquit , audire o-
ptimum ; alios etiam interdum nil vetat. At
iterum Rex : Vos , inquit , ut plurimū ina-
nem gloriam quæritis , quasi Regem manu du-
cere possetis : Non sic ille , imò in ipsius libel-
lis , cor & intentio scribentis ita clare relucet ,
ut mihi quoties eos lego , ferè lachrymas eli-
ciant. Cæterū quām accuratus in negotijs
iste Princeps esse cœperit , minimè barbarus ,
vel hinc collige ; quòd libellos ejusmodi admo-
nitorios in particulari scrinio asservare solitus ,
quacunque pergebat , unā deferendos , semper
miserit. Nec inde mirum post menses , imò
annos , ubi crederes oblivioni commissa exo-
levisse monita , repente prodijisse in lucem , atq;
executioni mandata revixisse.

CAPUT XV.

*Rex singulari benevolentia prosequitur P. Ad-
mum Schall.*

QUæ sequuntur admirationem superant:
& vel in Europa exaggerationem pro-
mererentur. Peregrinum hominem , so-
lā probitatis commendatione , inter præstanti-
simos selectissimósque duorum Imperiorum
Proceres , quorum isti civilitate , illi victorijs , ac
felici-

felicitate clarissimi, à potentissimo Monarchâ, religionis alienæ, ac ferè etiamnum barbaro, gratiâ constanti, eâq; eminenti foveri, probante id ipsum gente ab indole superbâ; si Chinenses species: aut asperâ; si Tartaros: non humanæ industriæ, sed Divini consilij, fines suos sapientissimè ordinantis rem esse quis neget? Elucet hic primùm fidei Christianæ, jam inde à nascente Ecclesiâ, vis & facultas suaviter emollientis feroce animos & saxe corda barbarorum. Virtutis deinde se prodit effacia; cui si animum applies, nihil ex rebus humanis complectetur, quod vanis alioquin nobilitatis, aut opulentiarum, formæve titulis se se offert conspicuum; solam ubivis cum ratione conspirationem adamabit. Demum docet quantum subnascens pietas, ac insitus sensim virtutis amor in animo adhuc sibi relicto, & nondum politicis artibus infecto possit & valeat: quando ista ad humanitatem tantopere inclinant, illa ad immanitatem & belluarum affectus, ac vitam turpiter avocant. Detur hoc potentissimi ac florentissimi illius Imperij, atque Imperatoris, qui modo præfuit Chinensibus, encomio, quod Christianos in Europa Principes paribus animi ornamenti ad omnem juxta gubernationis, & gloriæ felicitatem æmulatus sit: simul ut isti noverint laudum suarum suffragium illud quóq; esse locupletissimum, quod vel in barbaro commendetur.

M 2

Aditus

Aditus primūm faciles ad se se, præter modum Regum antecedentium novus Imperator fecit. Prioribus seculis ad portam Palatiū Eunuchi aliquot excubabant, qui manē collectos omnium libellos ad Regem inferebant. Huc suos etiam Mathematici olim deponebant; cum hoc tamen discrimine; quod non solum manē, sed quacunque horā phænomenon aliquod in cœlo se se ostenderet, licitum, immo ex officio debitum esset, ab his statim annunciarī. Hæc postea licentia ab Imperatore pro P. Adamo ita ampliata est, ut non solum quā horā vellet; sed & ad quemlibet locum, ubi Imperatorem esse contingeret, licitum huic foret accedere, tanquam, ut inquiebat Imperator, unum aliquem ex intimis familiaribus habendum. Quapropter rarissimè deinceps cum alijs libellos offerre; sed sive Rex domi, sive in hortis, sive apud Reginam Matrem degeneret, eò deferre consueverat. Accidit sæpè, ut circa vesperam Palatium ingressus, non posset tempestivè egredi, Rege colloquium in seram noctem protrahente: tum enim, ne forte noctu per urbem equitanti, ut mos est, infortunium aliquod accideret, mandabat, ut quatuor aut sex pueri Nobiles domū deducerent, ne que festinarent, nec quidquam agerent, quod equus perterrefieri & incautum dejicere tentaret; solicitudini pro Patris incolumentate singulare

lari intentus. Idem quoties extra urbem, mediâ s^osp^e nocte, ad ferarum saltum palatio intra muros extimæ urbis imminentem, quò animi causâ frequentissimè divertere solebat, eundum esset, vel inde redeundum, deducebant.

Initiò, ad modum conversationis Nicodemum cum Christo, noctu potius quām interdiu, nec ipse, sed per Ephebos Nobiles colloquebatur. Horum plerumque tres, nec raro plures, nec ferè unquam eosdem, qui alia atque alia identidem interrogarent, submittebat. Observabant isti; quod & percontanti postea Imperatori referebant, in noctem usque intempestam, non usitato apud Aulicos more, Patrem libris aut orationi intentum, legere aliquid aut scribere, otiosum nunquam aut minus providè occupatum; domesticis interim utramque in aurem, ut ajunt, stertentibus. Explorationes istæ existimationis ac fidei, ob quam deinceps Imperator supra domesticos suos Patrem complexus est, magnum argumentum fecerunt, quod plerumque ad mensulam in cubiculo sedere, legentem aliquid, vel scribebantem offenderint. Videbatur & illud incredibile Ethnicis istis, hominem aliquem inveniri, qui ab adolescentia sua castam & ab omni lasciviæ labo intactam vitam usque in senium possit producere; cui adver-

182 *Initia Expedit. Christian. ad Chinens.*
sum nihil uspiam offendentes tanto amplius
per admirationem vitæ devinciebantur. Rex
postmodum liberalius evocato in Regiam sub
noctem Patre, ab eo vel theoriam Eclipsum,
aut planetarum motus, stellarumque ordinem
ac nomina ediscebat; vel de rebus ad meteora
& Physicam pertinentibus colloquebatur; vel
etiam de regni gubernatione & præfectorum
ac Magistratum moribus, de discipulis nomi-
natim, & quid quisque in suâ arte profecisset,
curiosus scire desiderabat. Affidebat Regi Pa-
ter substratis de illius mandato duplicatis insi-
dens pulvinaribus; ne, quod indecorum esset,
& iste refugeret, aut huic affligenda essent mo-
lestiūs crura, aut extendenda. Obstupuerant
illa aliquando, & à diurna asseßione consur-
gens Pater titubabat; manum illico allevatus
porrexit Rex, dum interea juvenum proximo
accurrente, huic innixus egredetur, persi-
stens perhumaniter in limine, nec recedens,
donec atrium excessisse prospiceret.

Iterum ingruente nocte evocatum, jam le-
to dimissis ferè vestibus incumbens assidere
jussit. Indispositionis fortè aliquid evenisse,
quod hic conveniri placuerit divinanti; Ni-
hil planè inquit, sed ut familiariūs tecum lo-
quar, sic facio. Veniam tandem super mo-
lestiā deprecanti, non petendam gratiōsē sug-
gel-

gesſit ; cui nimirum tantus tam intima confideret.

Alias cùm in throno federet, qui è pavimento in pedes aliquot assurgit, non modo non passus est sedere humi ex adverso Patrem, ut etiam Magnates solent ; sed admoveri ad gradus, imò ad ipsum throni fastigium ascendere, ibique ad pedes stratis pulvinaribus accumbe-re, loco quām conjunctissimis deputato, voluit.

Solent Tartari hospites suos potu excipere, qui ex lacte & Châ, hoc est folijs, quibus fiscatis ad potum Sinenses utuntur, componitur. Quando autem in concursu Regulorum bibitur, universi Regulis primas deferunt : quin honoratior esse creditur, cui Regulus ex poculo jam prælibato bibendum deferat. Attamen Rex multoties potum prælibatum ex aureo, quo utitur poculo, bibendum Patri porrexit, singularis cum benevolentia significatione ; esto adessent Dynastæ & Optimates, multis partibus illo digniores.

Abibat in saltum à tergo Palatij imminentem, arboribus consitum, ceyorum, damularū, ac leporum copiâ instructissimum animi causâ Rex eques, duobus tantum Dynastis præcedentibus, & puer nobili insequente. Adfuit opportune

libellum aliquem præsentaturus Pater ; statim, ut vidit , concitato equo regressus Rex mandat ad redditum suum hospitem cum libello asservari . Tum dexteritatis specimen daturus, leporem fortuitò propè fugientem , nihil falsus à currente equo , conficit : & MAFA inquit, tuæ istud oblationi sit præstitum. Alias frequentiùs una deductum spectare equites interdum mille , nunc procurentes ad metam, nunc concurrentes adversis signis, nunc singulos sagittæ peritiam ostentantes fecit.

Palatium novum extruxerat , diésque designata , quâ illud habitaturus primùm ingredetur. Morabatur interim in insula , quam lacus intra primos palatiū muros efficit , ponte junctus continenti. Huc Magnates ferè omnes , ejus deducendi causâ convenerant, adfuit etiam Pater cum cæteris . Ubi respexit Rex , horâ octavâ manè intrò accitum , detinuit in colloquio , protracto usque ad quartam vespertinam. Sege non una sermonum fuit. Ipse quasi rationem conscientiæ redderet , quidquid in animo versaret , quidquid de suis sentiret , quidquid metueret , indicavit . Instans prandium , utrique æqualiter mandavit apponi. Verùm cùm animadverteret Patrem ex appositis non vesci , audiréique obstat , jejuniū causam ; confessim lacticinia & pisces ē Palatio Reginæ Matris , quod non longè à loco abe-

aberat, afferri jussit. A prandio duo flabellâ protulit (sine quibus Chinenses non incedunt) propriâ manu depicta, iisque appresso sigillo Regio Patrem donavit. Hæc isti postea effrenti, & fortuitò monstranti unus ex præcipuis Magistratibus coram multis adstantibus affirmavit: malle se ipsis duobus flabellis, quam bis mille aureis à Rege honorari. Certè Sinenses, ea vel honoris, vel amicitiæ causâ inscribunt & donant. Dum nescio quid exspectaretur, & inclamâisset Rex Eunuchum; nemine accurrente, ut advocaret, Pater surrexit: prohibuit Imperator: & Patris mei, inquit, Imperatoris demortui, ætatem habes, obsecro quiesce; atque ipse assurgens Eunuchum vocavit: claro indicio quantum venerationis ac fiduciæ, probitas veterana ubiq; impetrat. Ubi tempus abeundi adfuit, satellitio præcedente, ipse lecticâ gestatus, medius ibat inter Optimates, qui eum pedites trecantis plus minus passibus usque ad locum, ubi eum concordare possent atque liceret, comitabantur. Hic quoque universæ multitudo, quo benevolentiam suam inclinaret, monstraturus Patrem inter Optimates, & quidem lecticæ proximum voluit incedere: cum eo confabulatus, donec consenso equo insequi oporteret.

M 5

Evo-

Evocavit aliquando illum in saltum , atque
ibidem oleum ex succino elici doceri petijt. Optanti ut adduceretur adolescens domesticus , cuius operâ uteretur ad suscepsum laborem , annuit ; & utrumq; in conclave deductum ; ibi locum aptum , ubi diverterent , capeſſere præcepit. Dum puer manum operi admovet , Rex Patri frequenter affidens , nunc libros evolvens , nunc de varijs conferens , biduum totum tranſegit ; mirantibus universis quidnam mysterij intus ageretur. Interdiu narthecia sua adferri jussit (nam & in arte Medicâ non pa- rum profecerat) ipſeq; confidens , arreptâ libellâ , ex singulis pixidulis excerpta medica- menta , manu propriâ ponderando materiam pro pillulis plus minus trecentis paravit , ab Eunucho ſubjectis chartulis obvolutam , quām unā cum methodo ſimiles pillulas conficiendi , Patri donavit ; æſtimatam trecentis ferè aureis ; ſi demas preium manū Imperatoriæ , quæ e- laboraverat. Noctu , quoniam hyems erat , ſtragulum Regium ex pellibus Mustelæ Scyti- cæ confeſſum Patri instravit ; cūmque totam edormire noctem tædiosum foret ; jussit muſicos introduci , qui instrumenta tangerent , & cantu associato tædium relevarent . Adver- tebat interea modetiam adolescentis qui colla- borabat , & innocentē recreatus verecundiā , nomen , cognomen , ætatem , Patriam , & quo no- mine

mine Christiano vocaretur, singula ex puerō inquisivit, & inscripta memoriae posterō die repetit. Tandem, quod postulaverat asse-
cutus, ac præsciens diem insequentem festum esse, circa vesperam, destinatis qui deducerent equitibus, cum magnâ benevolentia signifi-
catione ad ædes remisit.

Nec intra Palatium tantummodo stetit Re-
gia benevolentia; ad ædes quoque privatas ab
eo culmine divertit. An non inclinatissimi a-
nimî indicium sit, quod intra biennium, per
annum videlicet quinquagesimum sextum, &
septimum currentis seculi, viginti quatuor vi-
cibus ad ædes P. P. venire, iisque diutius im-
morari, comedere & bibere, præter morem
omnium retro Imperatorum dignatus est?
Quando ad Idolorum templa per id tempus ad
summum bis; nec ad multa, sed ad duo, vel
tria majoris famæ accessit; atque ex Proceribus
unum duntaxat Patrum invisit, ex reliquis
prorsus neminem hoc honore prosecutus. In-
visendi modus omnino singularis fuit; cùm ut
plurimum ipse solus, uno tantu Ephebo hono-
rario comitatus veniret; reliquis omnibus ante
ædes expectare jussis; nullius interim periculi
suspicione, quasi amicus ad amicum diverteret.
Aliquando prius ad Ecclesiam, & ex illa in
domum: aliquando recta per portam domus ad cu-
biculum Patris, & ex hoc in Ecclesiam tetendit.

Prius-

Priusquam adventaret, præibat nemo, qui prodromus adventū regij, properè adfuturū moneret, quò commodè tapetes sterni, peristromata prætendi, aut conopæum, ubi sederet tantus Monarcha erigi posset: sed ædem ingressus vel more Tartarico, Patris in lecto, cui nec filium serici inest, collectis ad se cruribus insidebat; vel ejusdem in sella ad mensam, ex diuturno quadraginta ferè annorum studio multum attritā; vel in scamno, quod pro inferioris conditionis hospitibus, aut discipulis est positum accumbens. Nullum sedile in domo paupere tantus Monarcha erubuit. Moris est, ut quo loco Imperator vel semel sedit, nemo imposterum sedere audeat; imò ad memoriam, locus panno flavo insternitur; atque id tantā superstitione, ut nonnulli ante sedem vel locum, cui insederit, genua fleant, & inclinatā cervice adorent. Quare, cùm sine delectu ubicunq; opportunitas ferebat, ipse accumberet, genu flexus interpellavit Pater: Domine, nullus propè supereft locus, in quo non Majestas Vestræ assederit; nos imposterum ubi sedebimus? Respondit: num Māfā etiam ita superstiosus es? facias sicut me facere vides; sede ubi commodum fuerit. Occasione Oratorij, quod lecto vicinum aspiciebat, quæsivit non semel de tota ratione vivendi: quo pæcto diem transfigere; quantum dormire; quid orare consvēsset Pater?

tum

tum iste, quid horis singulis ex religiosa institu-
tione, non ipse tantummodo, sed quotquot in-
ejus Imperio versantur socij, singillatim agere
consvescant, exposuit, Rege collaudante.

Bis accidit, ut domum advenienti, absens Pa-
ter alio profectus, non adfuerit deducendo: ni-
hil exinde turbatus, priori vice ad Aulicos con-
versus: hodie, inquit, adhuc revertar. Re-
versus jam ab itinere Pater, intuetur à Pa-
latio magnam Equitum turmam evolui, qui Im-
peratorem extra urbem iturum consequerentur;
de more & ipse perrecturus mandatum per O-
ptimates à Rege submissos accipit; ne ex equo
descendat, sed unâ cum oculo illis Magnati-
bus, qui lecticam stipabant, comitetur. Ubi
ventum est ad urbis portam, satellitio præter-
missio, ipse lœvam versus in ædes P. P. deflexit,
ac portam domus præteriens rectâ ad templum
digressus, ubi conversus animadvertisit, equo
Patrem descendisse, & ipse continuo lecticâ de-
scendit, reliquum itineris pedes conficiens, non
sine magna omnium admiratione.

Alterâ vice culpam absentiæ deprecaturus
Regem adierat Pater. Tum Imperator; Mæfâ
inquit, ibam partim videre te, partim subsidij
non nihil offerre: non quod meis internuncijs
non fiderem, sed ut hanc tibi meam benevo-
len-

lentiam coram exhiberem. Nunc ergo quoniam ipse venisti, sume tibi quingentos aureos quos mecum detuleram. Mox in genua procumbere parantem, & gratias acturum, non permisit.

Alià die domum ingressus, interrogavit si Elephanti currere possent? quidni Domine? inquit P. Adamus, crura habent flexibilia; currere ergo poterunt. Statim Elephantos adduci ius- sit in plateam, quæ juxta ædes rectâ ad Septen- trionem per viginti propè stadia excurrit, latis- simam, & omni liberam impedimento. Tum quæstionis ante propositæ mysterium pandens ac solicitus, ut accurate omnia inspiceret Pater, designato ad curiosius observanda singula assi- dendi loco: videamus inquit hoc spectaculum. Erant bestiæ octodecim quas senas & senas, ter- no ordine dispositas, partem in omnem age- bant ductores, jucundo planè aspectu, atque eximiæ oblectationis.

Iterum cùm diutiùs domi assedisset, quasi lu- dens; Mafâ inquit, horis aliquot hîc tecum sum, nec quidquam apponis, ut famem aut fitim rele- vem? reposuit Pater: tametsi haberem, Domi- ne, non tamen apponerem; nam quid Regiâ personâ dignum hîc possit inveniri? Haustum vini afferri jubeas, inquit; Ocyûs ex rubro vino in-

in XÉNSY Provincia Patrum curâ ex uvis collecto poculum obtulit ; quod cùm gustâsset dedit Magnatibus, qui numero quinque ingressi simul fuerant, ebibendum. Tum oblatum aliud ex eo, quod Hollandi afferre solent optimi ac svavissimi gustûs : at Rex ubi poculum ori apposuissest, audissétque Europæum esse ab Hollandis advectum, continuò quasi venenum gustâsset, expuit. Oblatum denique tertium, additumque ex domestico esse atque ex ea vite, quæ cubiculum pone obumbrabat ; totum ebit : atque, nunc, inquit, vinum bibo, post menses aliquot, cùm uvæ ad maturitatem pervenerint, revertar ut uvas comedam. Nec fidem fregit ; sed Octobri mense, cùm esset reversus, primùm ipsi, tum omnibus Magnatibus & Nobilibus uvæ largâ manu appositæ fuerunt.

Anno quinquagesimo septimo, supra millesimum sexcentesimum ultimâ die primi mensis, qui erat vesper natalis Imperatoris, adfuit invisendi Patris causâ ; cùmque diutius in cubiculo assedissent ; eamus nunc, ait Rex, audire musicam Ferrariorum. Erant aliquot fabri ferrarij in horto ejusdem obsequio destinatum aliquid elaborantes. Ubi propior advenit Rex, non ausi ignitum ferrum incidi committere, trepidè adstabant. Jussi rem suam agere, & di-
cto

Eto obtemperantes , fortuitâ scintillarum pro-
cellâ Regem aspergunt. Resiliens hic ad par-
tem , non advertit foveam , storeis per perti-
cas sublimatis , coniectam , decem vel duode-
cim cubitorum altitudine . Ex primo pedum
appulsi unam ex perticis pressit , quæ fracta
causam equidem dedit , ut in latus obversum
inclinaverit , periculum tamen sustulit , ne
omnino delaberetur in foveam. Consternati
ab hoc eventu omnes , & Pater in genua pro-
volutus tam palmaris in Regem offensæ , & suæ
incuriæ , in tanto hospite pro meritis non sa-
tis observato , culpam incusans , petebat ve-
niam , rogabátque ut omni finistro non attri-
bueret fortuitum casum , esto diem natalem
antecedenti vespere , Chinensibus ominosissi-
mo (uti cætera inexpectata omnia) evenisset .
Subridens Imperator subjunxit : éstne aliquis ,
cui aliquando pes non labatur ? nihil istud est ,
Màfâ , nec te casus iste contristet. Postridie
in Palatium perrexit Pater , de more cum Ma-
gistratibus Regi natalem gratulaturus. Hic il-
le : Mâfâ præcedat me inquit , & domum re-
deat , ego mox subsequar. Quotannis die
nateli Regis tota Curia , & Magistratus omnes
à minimo ad maximum confluunt in Palatium ,
ut Regem salutent , idémque faciunt Eunuchi
& prosapia omnis . Mirum ! negligere uni-
versam Regni aggratulationem placuit , & po-
tiùs

tius invisere, ut ut amicam, tamen peregrinam domum. Magnanimitatis tamen Regiae istud fuit: evulgatum linguis singulorum, & fortè dentibus excipiendum invidorum pridianum, casum hoc pacto elevare, atque ab omni suspe-
cti ominis notâ absolvere. Antevolavit ex-
templo Pater ponè secuturum Principem, &
coëmptis omnis generis bellarijs ac fructibus,
tredecim commodè mensis suffecturis, quarum
unam in media aula pro Imperatore, reliquas
in atrio locaverat, pro Magnatibus & Nobili-
bus qui comitarentur, Augusto hospiti excipi-
endo religiosa paupertas se aptavit. Nec fe-
fellit expectatio: ædes ingressus, & appara-
tum hortensem inspiciens Rex: cur, inquit,
tot mensæ? pro Magnatibus ac Aulicis, re-
spondet Pater, Majestatis Ivestræ. Assedit
igitur ac poculum è manu Patris Adami surri-
piens bilit hilaris, atq; de bellarijs, undequa-
que carpens assumpsit. Reliquas mensas, ut
erant dispositæ, foras deferri in plateam jussit,
ubi Frater Nothus cum filijs Regulorum Can-
toniensium, aliisque Dynastæ non pauci ade-
rant, nihil tale expectantes. Ita paucorum
nummorum pretio opulentissimum Regem re-
verita est cum satisfactione simplex modestia,
& pluribus nominibus obæratus affectus:
multorum insuper Procerum animi conciliati.
Neque nunc primùm de fructibus hac in æ-
de gustaverat; imò ex hortuli domestici ar-

N

bori-

boribus decerpere ipse , & diligere gustui as-
sueverat ; bellaria tamen aliunde empta nun-
quam alias attigit , neque apponere visum at-
que nunc : quod modicissimo vino Regem uti
sciret Pater , unicum obtulisse poculum fuit
satis .

Quam Patribus legis dominicæ præconibus
indulgebat Rex benevolentiam , hanc simul eo-
rum domesticis communem esse dignatus est .
Sedebat suos inter Magnates unâ secum addu-
ctos in horto Patrum domestico sub umbrosa
platano , quæ in tota urbe , si non unica , sal-
tem maxima est (non enim Pequinense frigus
has arbores patitur) nunc hoc , nunc illud , quæ
curiosè circumspiciebat extollens , præsertim
machinas hydraulicas , quæ parvis sumptibus
erectæ gratiam plurimam & admirationem fa-
ciebant , ac denique exquisitum totius Domus
nitorem . Prodiit fortuitò in medium quin-
quennis puer , filiolus famuli domestici , veste
tartaricâ insignis , è vestigio jussus , coram Rege
ritus omnes adorandi adeò gratiose & exactè
peregit , ac si maturæ ætatis Aulicum priderem
egisset . Rex collaudato puero de Patre ejus
inquirens , cùm audisset P. Adamo illum à multis
annis fidelissimè ministrâsse , prœmium ei con-
tinuò decrevit , officium in tribunali Suān Y
Gúay quod primum vacâset : nec multò pôst id
ei contulit : ut ita hic quoque gloria Patris fuerit

fili-

filiolus sensatus. Alium discipulum ex tribu-
nali mathematico alia de causa ad Regiam de-
stinatum , agnitumque vocavit Rex, ac de stel-
lis , cùm nox intercurreret , interrogavit , seu
experiundi Juvenis , seu recolendæ astrorum
notitiæ gratiâ. Quantum observationibus af-
sueverat adolescens (neque enim inter primos
adhuc emerserat) intrepidè protulit , placuisse
+ Hujus nomen , tum menti impressum
post menses aliquot recoluit Rex , sciscitatus
quid de tali discipulo (nomen indicabat) sit fa-
ctum. Reposuit Pater : nihil boni incurrit ;
Nam nescio quo infortuniô leges Imperij vio-
lans , propè est , ut ad tribunal criminorum
sistatur ; sed cùm de eo libellus supplex ad Ma-
jestatem vestram venerit , rogo ut saltem lati-
digiti indulgentiam ei concedat. Evnuchi
circumstantes simplicitatem loquentis cum risu
exceperant. At Pater , ut quid , inquit ,
ridetis? Num apud Imperatorem favorem nunc
quærere extra palatium prohibitum est ? Rex
illoco complosis inanibus risit & ipse. Nec
ideo irrisæ preces. Nam per libellum accu-
satus ille , dum jam cum pluribus non absimilia
promeritis sententiam opperiretur , Rex ni-
grum theta suppressit ; donec post dies octo ,
generalis criminum remissio toti Imperio de-
stinata successit. Tum enim respondit libello:

N 2

videri

videri crimen illud debere ignosci, quandoquidem communis omnium fieret indulgentia. Ita clementiæ simul ac justitiæ prudentissimus Princeps gloriösè litavit.

CAPUT XVI.

Imperator Divinæ Legis fit Auditor & fautor.

Instaureandæ Astronomiæ labores, ad rem Christianam promovendam à Patribus assumptos fuisse, sæpè diximus. Impetrata bono omne exinde Regis benevolentia, & in populo authoritas: at, ubi Regis ad fidem conversio? inquies. Necdum omnium dierum sol occiderat. Hæc ad annum quinquagesimum septimum hujus sæculi in Europam perscripta sunt, atque indies spes aluit agricolam. Fides donum Dei est, & quamvis decora quælibet cœilia huic Regi adfuerint, ad baptismum superfuit, ut præterea Pater cœlestis traheret. Fure qui P. Joannem Adamum Schall incusaverint, quod operam in Regia luderet; Obnoxium esse Principem compluribus nævis animi: in tanto fastigio arduam fore emendationem: Interim esse cum illa corruptela non usque adeò decoram familiaritatem, viri virtutem profitentis. Ita equidem laudabili fervore non-nemo quondam ad P. Adamum: qui tamen non

non multò post experimento didicit ; quantum ad rem Christianam valeat Regia benevolentia , eandem ipsam implorare coactus : debuitque fateri , quod perinde sit familiariūs conversari cum peccatoribus cæteris quibuscumque, ad conversionem eorum impetrandam ; ac defectus quospiam non perhorrescere in Principe , ut emendes. Cæterūm in Curia nihil fit , nihil ab Imperatore ordinatur , quod non continuo toto Imperio divulgatum omnibus innotescat. Cūm aliquoties domum Patrum Rex advenisset , Socij in remotissimis Provincijs hoc prius sciverunt , quām foret perscriptum. Inde quidquid P. Adamo honoris vel gratiæ Regiæ accidit , id in sociorum emolumentum redundasse quis non intelligat ? Ut vice versa , si quid indignum perpetrasset , hoc æmuli socijs scitè exprobrasset. Interea quod ad Regem attinet , nunquam apud illum , sicut neque coram cæteris dissimulatum est Evangelium ; sed captatâ quācunque occasione inculcatum. Neque quisquam tam exaggeratæ consuetudinis effectum quantocyūs expetat , recitètque ad præterfluentem positus illud Evnuchi Reginæ Candacis : ecce aqua , quis prohibet eum baptizari ? Dicam cum Pâtre Adamo , prohibere interdum nihil , sed responderi debere : si credit ex toto corde , licet. Regem attentâ aure & animo suscipere sanctissima monita ; credidisse

quin etiam , ex hac tenus allatis facile evinci potuit ; at non supervacaneum illud est , quod addidit Philippus EX TOTO CORDE . Plerique in abdito cordis angulo reservant aliquid , quod in DEUM fides nondum expulit . Credunt ea , quæ de DEO dicuntur ; & approbant ea quoque , quæ præcipit observari . Verum partem cordis præsertim apud Orientales istos obtinet , aut assuetus animus rerum aliarum cultui , aut affectus non undequaque sordibus integritati Christianæ repugnantibus expurgatus . Quæ obstacula nisi copiosior Dei gratia identidem refringat , atque ita Pater cœlestis renitentes trahat , laboriosam evenire illorum necesse est , uti fit , conversionem .

Methodus excolendi animi ac DEO præparandi multiplex est . Efficacior tamen illa , quæ à præceptis Divinis incipit : quæ quamdiu displicent , aut impedimentum , quod removeri erudiendus non vult , adfertur ; vana est opera . Quod si spes supereft , & adeft capacitas persuasiōni accommoda , lenta obsidio instrui , tēta expugnatio apparari debet , donec obstacula evincantur . Non inter desperatos unquam Rex omnino desertus est . Virtutibus moralibus initio assuefacere Principem decuit : quas ipsas indies retexendo aliud agi visum non est , quam obsequenti viam ad altiora sternere .

Anno

Anno quinquagesimo sexto ipse ansam dedit, sibi ea, quibus aditum moliebatur Pater Adamus, proponendi. Evocavit hunc in Regium saltum, per otium, quædam, ut significabat, collaturus. Dum reducem Regem, qui interea venatum exierat, præstolaretur Pater, à varijs quid circa Regem ipsosque ageretur, edoctus est: & fuere qui hortarentur, ut suasor porro pergeret esse in ijs, quæ ad virtutem pertinerent. Redijt inclinatâ die ad tempus cœnæ Rex, ac demum mensis sublatis in atrio expeditantem Pater offendit. Tum ille de stellis sermonem inferens, ex quarum conjunctione quidpiam portendi acceperat, quodque in libello præparato, propediem præsentando, ex composito, secum allato, pro muneric sui ratione expositurus erat Pater. Libellum hunc depositit, inspectumque placere sibi significans, proprius ut accedat, monet, quod in aurem loqui & difficiliora intellectu accuratiūs explanari sibi faciat. A lectione conticuit aliquantulum secum animo prælecta recoquens, & tandem elatâ voce: Si stellarum cursus, inquit, certò prænosci potest, sequitur esse necessarium; ac proinde malū si quod portendunt inevitabile; ideoque frustra de remedio agitur ejus, quod jam determinatum est evenire. Respondit P. Adamus: stellarum Creatorem Deū, totiusq; universi, ab eterno prænōsse cuiuslibet

rei à se creatæ ordinem & effectus, tempus etiā & modum, quo operatura sunt quælibet id, quod viribus suis continent; proinde cuncta sic disposuisse, ut suo tempore ipsa quoque possent homines, cæterà in actione sua liberos, sui officij admonere, maximè Reges, quorum imperio reliqui parent. Quapropter stellarum cursum, tametsi respectu nostri apparet necessarius, respectu Dei esse liberè ordinatum ad talem finem. Ideoque præsertim à Regibus in gratijs Deo debitum esse reponendum, quòd eos mediantibus stellis, & metum inferentibus quandoq; ab erratis revocet. Quisnam, ait, est iste Deus? respondit Pater: invisibilis quidem, sed qui omnipotentiâ suâ visibilia omnia condidit & invisibilia, qualis neque est, aut Idolum aliquod, neque cœlum istud quod oculis cernimus, sed absolutus universorum Dominus, ubique præsens, nihil non sciens, quem Christiani à maximâ creaturarum visibilium TIC EUM CHÙ (cœli Domini) vel etiam Creatorem appellamus. Esto, inquit: sed cur malum, quod Stellæ minantur, nobis timendum potius, quam alijs Regibus? Quia, inquit Pater, inter Monarchas totius mundi Majestas vestra facilè est Princeps; unde etiam Filij cœli titulum usurpat; & reverà populus, qui imperio Majestatis vestræ subjacet, est frequentissimus supra aliarum Regionum

mo-

morem, ideoque Deus ijs per vos gubernandis plūs curæ quodammodo impendit, & Majestati vestræ erudiendæ plūs studij accommodat, quam alijs; tametsi nec illos deserat, aut non commonefactos pertranseat. Hic Rex: si ego errata mea corrigerem, satîsne foret malis avertendis? Cœlorum motus, reponit iste, stellarumque aspectus nihilò secius evenient, quam antea solebant, nihil tamen mali ab ijs erit metuendum; Nam & Europæi in proverbio dicunt, Sapiens dominabitur astris. Rursum Rex: eja quæso Mafâ modum doce, quo à culpis liber evadam: Si, inquit Pater, rigorem justitiae, in quo quandoque excedit Majestas vestra, ipse mitigaverit: Si paterno in populum animo inclinatus communi singulorum felicitati attenderit: si eos, qui proprius afflunt, benevolentia majore & liberalitate devinxerit: verbo; si Deum, super omnia amaverit, & cæteris non secùs ac sibimet ipsi quandoque condoluerit, juxta illud; Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, salva omnia. Hoc, inquit Rex, non satis intelligo. Tum Pater Dei præcepta Imperatori proponere, eaque inculcare magis, in quibus vel ratione Regiæ personæ, vel regij muneris defectus major contingere potest: Quare sic exors' est. Quòd hoc melius intelligat Majestas vestra, ea, quæ Christiani observam', legis divinæ statuta breviter explicabo.

N s

Pri-

Primum est, amare unum DEUM super omnia oportet, eò videlicet, quòd nequeant esse plures Dij; Nam si statuamus plures esse, eósque æquales inter se, nullus eorum Deus erit, quia nullus eminebit; cùm Deo proprium sit, eminere super omnia, quæ non sunt ille: Si præter unum maximum reliquos minores; unus ille & optimus & maximus erit, qui excelleat inferiores reliquos, atque ideo isti nihil minus quam Dij; imò qui nec quidquam sine maximo prodesse possint. Alterum quod obseruat Christiana virtus, veritas est, mendacia odit, & solâ veritate homines conversari ad invicem præcipit. Illius responsa vult esse; est, est; non, non: Quid porro Regibus magis necessarium, quam ne fidem frangant, qui singulos sibi cupiunt esse fideles? Tertiùm præcipit, Deo gratos pro innumeris beneficijs, quæ ab eo identidem referimus, existere, atque ideo Christiani, cùm hoc aliter demonstrare nequeant, certis diebus festivis conveniunt, ut simul una gratias Deo reponant. Quartò præcipit honorare, sustentare, & audire parentes tum, cùm nihil Deo contrarium præcipiunt; quod etiam ethnici omnes naturali se jure debere agnoscunt. Quintò prohibet corpus lacerare proximi, quoquo modo, nisi per concessionem eorum, qui in vitam proximi jus habent. Quare Regibus non illimitata potestas est,

ut

ut sine ratione ac maturo consilio, ad mortes subditorum valeant procedere; quasi quidquid illis liceat, quod libet. Sextò, castitatem commendat; & ut, qui matrimonio juncti sunt, sibi mutuam fidem servent, nec thorum violando, nec conjugem repudiando: si tamen alteruter decedat, tunc concessum est alteri novum conjugium meditari. Septimò, omnem usurpationem rei alienæ exterminat, quocunque modo id fiat. Regibus quoque prohibet extraordinaire præter necessitatem vestigalia, & onera subditis imponere. Octavò honori proximi consulit, utque nemo famam alienam lædat; unaque reverentiam non æqualium tantum, sed & superiorum ad subditos æstimationem commendat. Nonò, ac decimò, præter omnia suprà dicta requirit, ut cor purum ab omni concupiscentia, & cupiditate servetur: quandoquidem ex corde universa emergunt, quæ aguntur.

Hoc ordine cùm singula retulisset Pater, atq; ea, quæ ad personam Regiam pertinent, exposuisset copiosius; ad singula attentissimus Rex, ut nec verbulo interrumperet, quæsivit tandem: si multos haberet Pater hujus doctrinæ, & quales asseclas? Respondit: esse quidem non adeò multos, plerosque ex iis tamen, Divinæ legis ex animo observantes. Quod si quorundam defectus notentur, id ex

id ex eo provenire ; quod pro delinquentibus nulla adsit hic terrarum vis coactiva, quæ illos in officio contineat : in Europa humanum Magistratum succenturiari Divino , ad istas leges pleniūs observandas.

Quæsivit iterum : num etiam Reges tenerentur ad observanda præcepta ? responsum est : prius equidem istos , quam alios ; propter exemplum virtutis quod exhibere subditis honestoportet . Et ego quoque qui nondum Christianus sum, inquit ? Tum Pater: præcepta illa non solis Christianis data esse affirmavit ; sed omnibus, quotquot sunt, hominibus, proposita gloriâ æternâ, pro præmio observaturis, & pœnâ æternâ detrectaturis . At ille : & quibus viribus tam eximia observando præstet ? & Pater: volenti & cooperanti Divinæ gratiæ , nihil est difficile . Volo, inquit Rex, nam & ego sic sentio , & putarem me posse servare . Tandem digressus ad alia ; de Rege præterito ; qualisnam fuerit , quaque de causa Regnum amiserit , percontatus est . Animadvertisit Pater quæstionem hanc arrogantia nonnihil adferre : quare in hunc modum respondit : Regem illum præ cæteris omnibus ingenio valuisse : castissimum etiam & amatorem populi fuisse : verum quod sibi plus æquo fideret , & tenacior esset , quam ferret tempus ; exinde nec Magistratum , nec militem sibi fidelem nactum esse : demum

Re-

Regno & vitâ exutum. Eundem hanc legem Dei approbâsse, cámque suscipere fortè non respuisse, si inopinati successus non intervenissent.

Tota hæc Disputatio in præsentia Magnatum, & Evnuchorum, liberè, & quâ energiâ potuit, est habita. Refert P. Joannes Adamus, à compluribus probatam, alijs quoque, qui aberant, per hos ipsos qui aderant, de n- ceps relatam fuisse. At inquies; perswasisse oportuit. Reponit Pater: dictum olim à quodam Doctori gentium; In modico svades me Christianum fieri; nec illico factum: non tamen ab illo propterea fuisse Apostolum prædicationis mercede fraudatum. Antecessori hujus Imperatori per libellos quantum licebat, & quantum sinebant res astronomicæ unâ communicari solitæ ostensus: huic autem Regi verbo ac exemplo reclusus est aditus veritatis & vitæ. Finis intrinsecus sacrorum apud illos oratorum mutuos eorum nutus expectavit. Affirmavit iste non diffiteri se, quòd legem Dei servare possit: placere sibi virtutis pulchritudinem: veritati eorum, quæ dicuntur refragari non posse. Nequaquam postea bona verba retractavit. Veniant, inclamabat tum, innuebâtque iteratis in Europam literis P. Adamus; veniant socii, qui mihi jam seni in tam illustri negotio promovendo, in captura hac tam insignis balenæ in sagenam divinæ gloriæ impel- len-

Iendæ, doctrinâ & abundantiori gratiâ auxili-
entur. Non desperabat equidem de secuturo
quondam Regis assensu Pater. Non tamen
extorqueri tunc debuit annutus, quando adhuc
abnutus timeri potuit: dimittere illum oportuit
ad tempus, dum quæ audivit, animo ruminaret,
& quæ auribus acceperat, sensim dimissa in cor,
ad speratum olim fructum maturerent.

Hæsit enim verò mandatorum Divinorum
cura radicitus Regia in mente. Dubia exin-
de sæpius eadem in causa proposuit: Specialiter
non multò pòst Patrem evocavit in Palatium,
atque Magnatibus jussis secedere: primò adia-
phora quædam; tandem de DEO quæsivit: quo-
modo apud Europæos vocaretur? Respondit
ille: non uno nomine, sed pro nationum & i-
diomatum diversitate alio atque alio: Germanos
illi à bonitate nomen dedisse, alios à sapientia,
alios ab omnipotentia, ut plurimum DEUM à
præstantioribus attributis nominari. Perrexit
sciscitans: num inter eos, qui Magistratūs offi-
cio per imperium funguntur, Christiani etiam
sint nonnulli? affirmavit Pater esse non paucos;
Interea tamen egentiores potentioribus numero
antecellere; quòd hi sæpius templum frequen-
tent, unde ad meliora mentem admonente Deo
provocantur: quod cùm Legis Magistro cre-
brius

brius tractent, atque etiam quod paucioribus
impedimentis distrahantur, quae indagandæ
exequendæque probitati apud ceteros obstant.
Iterum, ut nuper de antecessore percontatus,
audivit satis illum ad legem Dei observandam
inclinasse; Profectò, inquit, in hoc non erravit;
tum decem decalogi præceptorum renovata
mentio, quæ singula dum explicando percurre-
ret Pater, ad expositionem sexti substitit Rex,
causam prohibendæ uxorum pluralitatis depo-
scens: Cui Pater ita præceptum esse asseruit,
non solum ob meliorem liberorum educatio-
nem, totiusque familiæ concordiam; sed
quia etiam Domino sic placuit: nihil cæte-
roquin difficultatis fuisse primo homini plu-
res aggregare: Animadverti interea in
Europa unam uxorem plures filios e-
niti, quam in Chinis decem concubinas: ideó-
que prætextum prolis nihil omnino pluralitatì
uxorum suffragari. Dubitans an Regum in hoc
quoque eadem ratio esset? imò ratione scandali
multò majorem intellexit.

De Tartaris suis cùm quæreret: respondit
Pater, nondum Regno Dei aptos videri, quam-
diu Latrociniis affveti facile præceptum se-
ptimum prævaricarentur. Plura ad hanc
rem facientia; ut de sepultura Christiano-
rum, de matrimonio, de cœlibatu, & alia
curiosè investigavit, quæ iterata quæstionum
repe-

repetitio satis indicat, nusquam animo excidisse nuper impressa. Symbolum, cum alijs documentis Catecheticis, captatâ occasione, & per regium otium copiosè eidem exposita; quæ cùm calamo excipi ab aulico ad id accito vellet (non leve volentis, & parati animi indicium) ut audivit hæc omnia, in libris P. P. Operâ haec tenus editis, contineri, sine mora intempestæ noctis silentio, famulum P. Adami in urbem remisit, cum mandatis, ut libros hac de re conscriptos submitterent. Habit is, conclave ingressus, noctem evolvendis omnibus impendit. Postero die libellus, qui de vita Christi compositus, aut in patrium idioma translatus potius fuerat, ex eo quem Serenissimus Barvariæ Dux Maximilianus scribi, & pingi quondam pro hac missione jussérat, quémque Regi defuncto, nomine Sociorum. Patres obtulerant, in manus incidit: Hujus occasione symbolū ab ovo resumptū est, & quæ figuris ex adverso repræsentabantur, elucidata. Ubi ad passionem Christi Domini ventū est, libro super spondam lecti, cui incumbebat, deposito, in genua se dedit, ac Pater ad latus Regis itidem genu flexus, quantâ potuit spiritus & animi contentione, tam attento & devoto Catechumeno ordinem mysterij explicavit. Idem refert plurimis regni literatulis hæc ipsa alias frequenter proposita quidē esse; sed istos pro su- per-

perbia innata , & pervetusto errore gentilium , ad caducos mundi fulgores duntaxat respicien-
tium , stultitiam arbitratos ea , quæ Salvator
pro nobis passus est ; vel non attendisse ; vel
impiè cavillantes illusisse increatæ Sapientiæ
improvisis rationibus ac gestis , quæ audiebant ;
cùm tantus Monarcha , tantâ humilitate genu-
flexus , tantùm non lachrymas cieret .

Diutius aliquando in Patris cubiculo com-
moratus , ex consideratione Oratorij , cui ap-
pensum erat Rosarium , petijt usum precatoriæ
corollæ sibi monstrari ; quod per puerum , ibi-
dem flexis genibus altâ voce salutationes DEI
Matris recitantem , ad placitum & subsecutam
exinde in Regio pectori teneritudinem animi
versùs cœlestia præstitum est . Templum po-
stea ingressus , ubi Sanctorum nomina Ignatij
& Francisci bis tèrve legisset , ut ea memoriæ
imprimeret aliquantum substitit ; & tandem eas ,
quæ in pariete pendebant , tabulas , cum varijs
de doctrina Christiana præceptis , perlegit o-
mnes , iterumque Symbolum totum voce ac re-
cordatione percurrit , & cur tam tardè incarna-
tus , cur tanta Dominus omnium pro servis , &
à servis suis passus , omnia diligentissimè per-
quisita recoluit . Ut ad Angelorum altare ven-
tum , horum historiam cum diaboli lapsu Ange-
li Custodis officium , & plura ad id pertinentia

O

stu

210 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

studiosissimè inquisivit, & didicit, ut sufficien-
ter instructum nemo dubitaret. Imaginem Sal-
vatoris, quam Veronica velo exceperat, atten-
tissimè intuens devotionem sibi ingenerari fas-
sus, in Palatium sublatam per pictores suos
quater jussit imitari; & quamvis artis hujus ad-
modum imperiti illi, non eam possent ad vi-
vum assequi, remisit nihilominus, contestatus
reformidare se in aula hanc Iconem sustinere;
quoniam, inquietabat, non sentio me sufficien-
ter ad eam, ut meretur, honorandam para-
tum. Ante summum altare alias transiens per-
cuso pectore ac cervice inclinatâ pietatem &
animi sensa monstravit.


Illud reverentiæ, an dicam fidei signum fu-
erit illustre; quod quotiescumque portam atrij
Ecclesiæ ingrederetur, cum posset eò in lectica
sua residens inferri, tamen plùs decem passibus
antequam ad portam accederet, è lectica ex-
scendens pedes à platea intraret. Post primam
Basilicæ portam, alia occurrit triplici arcu la-
pideo in tres aditus distincta, quorum medius
rarò, nisi Regi adventanti, vel primis anni Ca-
lendis, aut in principe alia solennitate recludi-
tur. Rex debitæ demissionis in adeunda DEI
Regia memor, neque sub fastigio eminentioris
arcus, neque per angustioris portæ sibi desti-
natæ amplitudinem, vel rogatus unquam
incepsit.

Vc-

Venerationi Sanctorum facile assuevit: Societatis JESU Patriarchas S. Ignatium & S. Xaverium eleganti & Europâ manu depictos, singularius reverebatur. Ante Ignatij tabellam sâpe consistebat, ab eâq; devotionem & sanctitatem spirari, séq; ejus aspectu plurimum commoveri professus. Paratum erat sub Christi festa natalitia præsepe, de more piæ ubivis Christianarum gentium consuetudinis; quod cum Puer JESV, Virgine Sponsa, S. Josepho, Angeli ac Pastores, quâ licuit arte repræsentabantur; Adstitit Rex diutius mysterij, quod edocitus jam fuerat eminentiam contemplatus, & affectu teneriore erga divina, ut præferebat, permotus. Nec omen diei defuit, trium videlicet Regum, quo ipso tunc aderat, vel aucturus aliquando sacrum Orientalium illorum Principum numerum; vel personam eorundem hoc nostro ævo propediem repræsentaturus. Conspexerat inter alias Icones super Oratorium Patris Adami unam D. Joannis Baptistæ sua in eremo precantis. Hanc postulare dignatus, quomodo non impetrâisset: sive ut ita Sancto illi Præcursori pleniùs commendaretur, à quo intento indice Agnum demonstrante efficaciùs ad optatum tandem finem manu duceretur: Sive ut in sua versùs D E U M demissione, quâ indignum se Salvatoris Icone apud se retinendâ nuper affirmaverat, confirmaretur hujus exemplo, qui dignum se

212 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinent.*
quoq; esse pernegabat , qui corrigiam Christi
calceamentorum solveret.

Evocato noctu in curiam Patre , dum jam
decumbens per otium libros sibi commodatos
evolveret , incidit in eum , qui Sanctorum vi-
tas & imagines referebat ; singulari pietate ac
patientia res eorum gestas sibi enarrari illico
voluit , & attentissimus audivit. Eadem avi-
ditate alios de re Christiana libellos appetebat,
& percurrebat , ac documenta inde desumpta
protinus , quantum licebat , exequebatur.
Quondam in fronte Catechismi , quem manu
tenebat , de formando signo Crucis admonitus ,
id ipsum imitari aggressus , dum actionem au-
spicatur inopino interventu alterius , ad alia
diversus est. Conjecit jam tum Pater , idque
crebro recurrebat animo , non defuturum sibi
illum , qui circuit quærens quem devoret , ne
nobilem adeò prædam , si omnino in Chri-
stianos casses transfire olim in ani-
mum induceret , magno suo cum
dedecore ac detimento in-
ultus & otiosus
dimitat.



CA-

CAPUT XVII.

*Rex multis beneficijs rem Christianam ornat, ac
promovet.*

Toto tempore, quo vixit P. Jacobus Rho, dum adhuc Chinenses rerum potiebantur, id, quod Imperator assignaverat, duobus è Societate Patribus alendis in eà mis-
sione, ne quidem uni ad vitæ sustentationem sufficere poterat. Reliquum DoctoR Pau-
lus de suo tum liberaliter addebat. Præclaro
beneficiæ genere solitus insuper dissimula-
re, tanquam ex publico Imperatoriæ muni-
ficiæ penu totum proveniret, tam quod
quaestores adferrent, quam quod ipse manu
suâ adjiceret. Post hæc Pater Adamus pri-
mùm quidem à Rege impetravit tantum, quan-
tum sibi, sed non quantum familiæ alendæ suf-
ficiebat. Novis deinde laboribus, in gratiâ Rei-
publicæ suscepis, nova stipendia adjecta sunt.
Cæterum has regiones, ut fructum aliquem o-
ptatum Deo atque agricolis suis adferrent, in
sudore vultûs exercere, & plurimis supra mo-
dum quandoque laboribus excolere oportuit.
Manus ipsæ comparandis ad viatum necessa-
rijs commodatæ plerumque sunt: & de se
memorat idem Pater, se adeò assuetum indu-
ratumque corporis, animique defatigationibus

obcal-

214 *Initia Expedit. Christiane ad Chinens.*
obcalluisse; ut jam nunc septuagenario major
ætatem nondum sentiat.

Imperio ad Tartaros translato, uti alia re-
rum facies, ita felicior operariorum, quoad
corporis animique lucra conditio est. Jam Pa-
ter Adamus inter Germanos suos & conterra-
neos se vivere existimat. Quamprimum Im-
perator novo Calendario donatus est; non
modo Præfectoræ Astronomicæ munus contu-
lit; sed & redditus auxit. Insuper duabus ter-
tijs reddituum voluit hanc præfecturam supera-
re cæteras omnes primi ordinis, cæteroquin
undequaque æquales. Additurus fuisset locu-
pletiora stipendia, si non ut supervacanea, &
invidiæ obnoxia recusâisset Pater; nec tantum
conatus applicuisset illis excusandis, quantum
admovent alijs ijsdem evincendis. Accedebant
identidem panni serici, damasceni, & acu pi-
æti, pecunia quoque, & equi donati è publico;
quæ quia pari numero & valore cum alijs huic
præfectoræ dividebantur, tum ne odiosa fieret
singularitas, tum ne adversus infecuturos quid-
quam præscriberetur, non poterant recusari.
Alia Imperator suâ sponte submittebat; quam-
vis rarius. Vester, pileos, ocreas, atque e-
tiam nummos pro meritis cuiusque Magistra-
tus, quando Principi lubebat submissos inur-
banum omnino fuisset, ac periculosum reji-
cere.

Eo

Eo die quo Thebetanum illum Lamam seu Bonzium domum remisit, acciri Patrem in Palatium Rex jussit; dimissum illum unâ innuens hortatore isto, qui præstantior illo sibi videtur, acceptiorque suo genio, & reipublicæ utilior esset. Insinuabat tum, qui evocabat ad curiam nuncius; ut si quid domi paratum esset, vel instrumentorum mathematicorum vel alterius generis curiositatum, id unâ deferretur; ut si Regi placeret experiri, in promptu essent. Itaque cum libris aliquot, instrumenta secum nonnulla detulit Pater. Regem tum in domo Senatoria convenit, ubi summi Magistratus (Colaos Sinæ vocant) eidem adstabant. His præsentibus multa de Europa, de Patrum in Chinas navigatione, de lege & professione, de P. Matthæo Riccio, de ipso cui colloquebatur, interrogavit; instrumentorum etiam mathematicorum usum exponi coram, & artem paucis voluit. Post multa vicissim reddita, arrepto circino Pater ex instrumento partium, lineâ, & circulos, aliâque metiri exorsus, ipsum cui singula arridebant, Principem ut imitaretur, pellexit. Igitur & ipse assumpto circino similia quæ designabantur executus est tanta dexteritate, ut in divisione circuli, similib[us]que problematis nihil erraret. Demum quod pleraque instrumenta Rex admodum collaudaret, urbanam hanc eorum ab se postulationem esse recte in-

terpretatus Pater, omnia quæ attulerat, demissè obtulit, enixè precatus, ut ea dignaretur sibi accipere. Non omnia equidem Rex, sed majorem eorum partem deferri in Regiam jussit, at non sine remuneratione: Mille aureis donatum Patrem cum epulo dimisit, neque passus, quamdiu ibi erat, ante se genu flexum aliorum quamvis Magnatum more adsistere; sed vel allato pulvinari coram sedere singulari benignitate concessit.

Concinnatis deinde libris omnibus ad instaurationem Calendarij pertinentibus, cum globo stellifero deaurato, pedali argenteo, duobus sciothericis horizontalibus deauratis, tubo optico, & tabula geographicā dupli, unā Sinensium scilicet Regnorum ac Provinciarum, totius orbis alterā, universa hæc simul à Patre præsentata sunt. At quandoquidem istarum rerum usum nemo ipsi explanare nōsset, jussus est idem in interiorem aulam introduci, ubi postquam summatim, quæ ad usum eorum omnium pertinent, Regem edocuisse, mille rursus aureis cum veste tali fimbriata & auro intertexta, cujus usus est in solenni Magistratum coram Rege conventu, pileo item & ocreis donatus abscessit; jussusque est deinceps liberè in Palatium, tanquam ex domesticis unus ingredi; ac Regem ubicunque esset, & quavis hora placeret, convenire. Vestem tum

equi-

equidem Pater Adamus cum ocreis è vestigio induerat, assumpto pileo; ita gratiarum pro collato munere agendarum dignitatem aucturus ipso munere. At de pecunia; inquit, quid faxo? quando alimenta ab Imperatore destinata abunde suppetunt? Hæsi tantem de Proceribus unus admonuit demissâ, voce, ne recusaret; alioquin indignationem Regis incurfurus. Paruit Pater, & pro hac munificencia more Tartarico de genibus novies ad terram capite inclinato gratias egit.

Communi autem Missionis bono, statim in ipso Imperij limine à Rege præstitum, quod per tumultus bellicos exutos suis ædibus Socios, ac prædiis omnibus nudatos, reposuerit in integrum; imò opibus auxerit: primùm ædes quater maiores restituit; tum prædium & hortos ijs, quos amiserant, longè meliores; majorésque dedit; denique mandavit confidenter præterea petere, quæ vellent. Consueverunt his in Regionibus Orientales, à Regibus suis exorare assignandum pro sepultura locum. Id Pater Matthæus Riccius pro se quondam impetraverat, unà consecutus quod intendebat, nempe spatum in Regia urbe firmandis imposterum Sociis stabile ac firmum. Commoditas loci audere posteros fecit, ut promovendæ P. Matthæi Riccij venerationi, & sepulchro illius frequentatione Sociorū cohonestando, idem

O 5

locus

locus per turbas bellicas ereptus repeteretur. Suæ itaque etiam sepulturæ locum Pater Adamus exoravit de more, atque optione permisâ, promissôq; ubicunque designaverit auctario, proximum P. Riccio defuncto locum nominavit. Statim ille cum hortis & pomarijs adjacentibus Regulo, qui possidebat, ereptus, & compensatione Regiâ commutatus, eodem planè consignatus est die, quo postulatus fuit. Quo factum, ut residentia Pequinensis, illico extrâ redditus collati Mathematum Magistratus, præterea quatuor minimum Socijs alienis par evaserit: redundante in communem Sociorum existimationem ac commodum, privatâ unius cum Principe consuetudine.

Occurrerat fortè negotium in aula expediendum, quando per aditum Regij equilis, ampio & eleganti ædificio adornati, ad Palatum progressus P. Adamus obvium habuit Imperatorem, qui, quod venientem ex conclavi observasset, quasi aliud aeturus, aut lustraturus equos ab aula descendebat. Post alloquium bene longum, ejus, inquit, MAF, quidquid animo sedet ingenuè ac liberaliter pete:tergiversanti, & Regios favores supra auri ac possessionum affluentiam appretianti, iterum atque iterum instat, ac subinde lecticâ exceptus, progressus aliquot passus iterum subsistens, per duos Nobiles urget; ut intrepidè enunciet Pater, quidquid aliubeat, seu dona velit, seu dignitates, seu inimicorum

corum ultiōnem ; eventura illico etiam ultra
yotum. Hic tandem Pater, non ea quæ Regis ,
sed Regem lucrari anhelans, se suōsque labores
ac præsertim Calendarij innovationem susce-
ptam (quibus mediis inhærere imposterum la-
teri Principis nunquam removendum se crede-
bat , atque unā sensim Regem Deo obtinendū)
commendat. Gavisus de postulato Rex causam
ad Senatum, ac sententiam in diploma cogit .
Bino idiomate Chinensi ac Tartarico laudem
reformatæ Astronomiæ concinnari jubet, opus
omnium retro seculorum viris illustribus , eo-
rūmque hoc in genere laborib⁹ anteferri man-
dat ; quin etiam autori elogium , quod cætero-
quin non nisi demortuis, ac de Regno & Repu-
blica bene meritis, hactenus concessum fuit ,
etiamnum viventi conscribi , & sigillo Impera-
torio obfirmari, in augusta charta , aureis cha-
racteribus Draconem & hujus squammulas, no-
tis regiorum insignium, imitante componi im-
perat. Diplomatis ē Sinico in latinum translati
hic erat sensus .

Imperator JOANNI ADAMO SCHALL in
Tmy Dam Sū tribunali præsidenti ;
Collegij Mathematics præfe-
cto salutem .

Inter maxima totius Imperij negotia, primum
locum ordinationem temporum, & Calendarii
instaurationem, tenere arbitror. Post namque
binas

220 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*
binos Hy & hō tempore JAū primi Sinarum
Imperatoris Astronomos, qui deinde secuti sunt
Imperatoribus Huū, Hō, Hoā, Hūm, & CAM,
& HAū item JAū & CY, FAū, FūM, ac SENI Hū
omnes, & quotquot præterea fuere Astronomiæ
professores, in iis, quæ ad eam facultatē perti-
nent, plūs minūs versati, in Solis ac Lunæ Ecli-
psibus prædicendis frequenter aberrarunt. In-
gressus verò Solis in duodecim Signa Zodiaci,
temporūmque momenta, vix per eos aliquando
cœlo respondebant: at ubi ad YVEU CHEO
(hoc est Tartarorum Imperium ante an-
nos circiter quadringentos) Monarchia deve-
nit, jussus est Eō YEū Dūu Calendarium exa-
ctissimè redigere in ordinem. Attamen cùm ni-
hil de latitudine ac declinatione siderū monuis-
set; aliqua etiam præterea sat incerta reliqui-
set, nil mirum quòd ad nostra usque tempora
in observationibus toto cœlo ferè sit erratum.
Tu vero Adame, ab ultimo Occidente duorum
millium Leucarum mari emenso, cùm extremis
ferè Imperij præcedentis temporibus advenis-
ses; quoniam Astronomiæ, & aliarum scientia-
rū, te Chinenses viderunt peritissimū, Dū Siū
quām Hy (alias Paulus) è supremo Senatu Im-
peratori indicavit, & simul Academiā mathema-
tices instituendā tibi Rex attribuit. Quo tempo-
re pleriq; qui de hac professione putabantur a-
liquid scire, in computu & observationibus non
potue-

potuerunt tuâ æquare scientiam: Quoniâ exter⁹
eras, invidiâ plurimorum oppressus, decem & a-
liquot annorum spatio, quo minus proficeret,
detentus es. At quamprimum ad regendum
Imperium evectus sum, cùm nomen & originem
tuam studiosius inquisivissem, inveni, quòd Ca-
lendarium, unâ cùm Imperii mei exordio, per-
fecisti rarâ diligentia verè insignis. Rursum
personæ tuæ integritas juncta sedulitati, quâ
subditis tuis præs, eximiæ fidelitatis meretur,
encomium. Si itaque te antiquis illis Lô Hiô,
Hûm & reliquis supra citatis comparem, longè
illos superare videris. Quapropter novo te
titulo Hîum Hûn Kûn Xy hoc est, arcanorum
cœlestium magistri, ornatum volo, circa subdi-
tos tuos nihil immitando; ut ita virtute tuâ, quâ
te cœlum dotavit, unde & vires ad supplendum
Calendarii defectum suppeditatæ sunt, pro me-
ritis & præ cæteris extollam, atque interim
famam doctrinæ tuæ ad omnem posteritatem
transmittam, ut nemo casu id accidisse asserat,
tu quoque quotidie operi adde decorem, quo
subditorum animi se ultrò tibi subijciant, fama
verò ad omnes extendatur. Quid hâc gloriâ
aut excellentiùs, aut majus tibi imposterum
contingat?

Hoc diploma eo affectu, ac solicitudine
comparavit, & ursit Rex, ut quo die con-
ficiendum erat, & muniendum tyentario,
quamvis profectio extra urbem decreta
fuis-

fuisset, non exierit Regiâ, donec signatum abs-
se, & exhibitum Patri intellexisset: addiditque
imperium tribunalibus, ut quidquid ab Euro-
pæo legis Divinæ Magistro rogaretur, absque
mora præstarent, neq; ulla in re virum sibi gra-
tissimum contristarent. Hujuscē diplomatis
exscripta aliquot exemplaria, passim per Im-
perium destinata, ad commilitones in promove-
da Divina gloria desudantes, mirum quantūm
pretii Sociis, quantūm facilitatis ad destinatam
animatorum curam promovendam attulerint.

Alias vestem pelliceam fibulis aureis distin-
tam quâ ob frigidorem auram indutus Patri
colloquebatur Rex, humeris detracitam eidem
injecit, regalis amicitiæ illustre pignus. Nec
adulatione aulicâ & arte blanditiarum tantum
impertrata fuit hæc benevolentia. Evocatus
enim sub mediam noctem Pater, ac summo ma-
nè admissus ad alloquium dicere liberaliter jus-
sus est, si quid emendandum notâisset, seu ad per-
sonam Regiam, seu ad constitutionem Reipu-
blicæ pertineret. Suggesterat, ut obsequere-
tur, Pater nonnulla, quæ non æquè cuiusque
Principis auribus arrisissent: Dicebat universa-
ferè negotia ad Regulos remitti, quasi per eos
staret imperium, non autoritate & judicio Re-
gis niteretur: inter eos autem eminere duntaxat
eum, qui ætate grandior est, cuius refragari
tentia cæterorum nemo vellet, nisi in cau-
tus,

tus ; nemo posset, nisi temerarius : Hunc ipsum seu vitio induratæ ad proprios sensus ætatis, seu communi potentiorum fastu, pro ratione gubernationis, prætendere plerumque voluntatem : Imperio ut vitricum, non ut Patrem præesse: morosè atque per fastidium, nempe tanquam ex alieno ; non promptè & animitus tanquam ex proprio, quod Principis est, benefacere. Hortabatur Regem ad humanitatem, & clementiam non singulariter, sed indifferenter singulis, si quidem immobile sceptrum optaret, impendendam. Improbabat pronam nimis in seðtarū sacrificulos inclinationem ; magis, quam deceret, frequentē Majestatis Regiæ ad histrionicas artes inspiciendas, & in aula fovendas demissionem. Ubi complura his affinia exaggerato sermone percepit, quasi dormientem se hactenus, ad ea animum non advertisse, respondit : neminem, qui expurgiscere admoneret, operam dedit : evigilaturum imposterum & res suas oppidò augustiùs curaturum.

Insita ad hunc modum frequentiùs animo Principis monita, cùm radices altiùs egissent, fructus Reipublicæ multiplices deinde tulerunt : quin imò quanti virtutem faceret, ipse commentariolo manu regiâ exarato, atque typis edito, sub nomine exhortationis ad virtutem comprobavit. Librum illum, die suo natali ad consuetam gratulationē cum cæteris

Regni

224 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

Regni Magistratibus admisso Patri , ipse præsentavit. Rusticum fuisset, si coram tum posteriori ex parte prælectum, & in ea fortuna & ætate juvenis florentissimi juxta , ac potentissimi Principis conscriptum, ac de subjecta materia satis aptè differentem non collaudâisset.

Solent Imperatores Chinensium bene meritis de republica Magistratibus diplomata imperiri , in quibus eorum virtutes , honorificis verbis deprædicantur , quibus etiam quandoque honores ac dignitates , quas virtutis merito isti obtinuerunt, ad Parentes, avos, atque proavos eorum extenduntur. Diplomata magnifice descripta , involucris auro textis recondita expediuntur. Qui elogiis hujusmodi donantur, cujuscunque fortè postea criminis rei evadant, vigore literarum præsentium , quæ propterea maximi sunt ponderis , perpetuâ quasi indulgentiâ absolvuntur, & pro innoxiis hoc beneficio perenniter habentur . Neque istud gratiæ suæ monimentum , ac meritorum Patris Adami testimonium , Rex differri voluit. Post commendationes amplissimas in Patrem congregatas, aliis seorsim diplomatis Parentem ejus, ayum & aviam , ac Majores insignibus elogiis, cohonestavit, dignitatem, & honores P. Adami ad eorum , quamvis jam demortuorum splendores ampliandos extendens . Hortaba-

tur

tur subinde, ut per Pruthenos, ac Moscovitas, qui tum in Regia versabantur, ea diplomata in patriam, pro sui amoris indicio transmitteret. Exempla literarum, ne historiæ cursum interciperent, ad calcem libelli adjecimus.

Illud ad commendationem augustiūs, si in Regia inter virorum illustrium de republica optimè meritorum imagines reponi cuiuspiam effigiem Rex imperet. Patrem Longobardum depingi equideū jussit, ubi vitâ functus est; sed asservandam more Chinensium ad ædes Patrum imaginem amandavit. Effigiem P. Joannis Adami, & fieri fecit & ipse retinuit. Quin etiam ex illa transumptum exemplar dono ad Patrem submisit; multò istud prototypo suo illustrius, cui scilicet depingendo propriam Rex manum adhibuerit, quoque Patrem ex stante sedenti similem reddiderit: Reddens utique vices obsequiis; dum à quo ipse in Principem laudatissimum efformabatur vivens, eundem ipse in tabula, quâ posset arte, mortuum animaret, illustrarētque.

Beneficia privatim collata longè superant ea, quibus Divinæ legis per regnum promulgationi deserviit Imperator. Licentiam illius quaqua disseminandæ amplissimam semper fecit. Venerat in Regiam P. Nicolaus Purgolesky Polonus, ut inde transitum ad Tartaros impetraret: certius horum præsidio qui ad nos

nos inde transferant illuc vicissim commeatus. Adeundus Rex fuit, ut extero homini exoraretur transitus. Hic deliberatione præmissâ cum Magnatibus, renunciari Patribus Adamo & Nicolao voluit: Extra muros qui Chinenses à Tartaris dividunt, per bis mille & amplius stadia, vix reperiri hominem apud quem hospes divertat; à quo alimenta capiat, qui tecto recipiat. Quare eum, qui incomitatus eò contendit, indubitatæ morti se offerre. Regias itaque has ad peregrinum voces esse: Ne illuc proficiscaris suadeo; totum autem hoc meum Imperium in conspectu tuo est, perge quocunque libuerit, & ibi legem Dei, ut placuerit, dissemina.

Encomium legis Christianæ postea ad perpetuam memoriam, marmori insculpi jussit, conceptis maxima ex parte ab ipso Rege verbis concinnatum. Quamvis, quod totum in laudem legis Divinæ fuerat dictatum, is qui calamo exceptit, mutato aliquantum stylo, & in commendationem P. Adami adulatoriè, an invidiosè detorto, retento quamvis argumento non nihil turbaverit. Multa ibi præmittens de Astronomiæ laude, & cura, ab antecessoribus Chinensium Monarchis, solicite procurata, postremis etiam nuperorum de Tartarorum prosapia Imperatorum in eam studijs, ipsâ tamen arte nusquam ad culmen deductâ, sed errorum successione potius indies clangentes,

scente, ad proximorum temporum, ac suorum felicitatem descendit. Tunc enim, inquit, Joannes Adamus Schall ab ultimo Occidente in Chinam veniens, quia non solum artem calculandi; sed theoriam quoque planetarum, & quidquid ad Astronomiam pertinet, callebat, annunciatu Imperatori, Academiæ Mathematics & Calendarij curam suscepit. Sed quoniam quot capita, tot sententiæ, inter æmulos concludi non potuit, ut novâ methodo protinus uterentur. Ubi ego ad Imperium perveni, curam omnium primam pro rei necessitate, ac populi utilitate, temporum rationibus ac calculo instaurandis impendi. Declinante ipso per Autumnum anno primo Imperij, feci experimentum ejus, quod Adamus correxerat, Calendarij. Eclipsim solis ab eo jam dudum ante calculatam diligentissimè observari jussi; & constituit tam temporis momenta, quam puncta cælestia cum alijs omnibus circumstantijs exactissimè ejus calculo respondeisse. Iterumque sequentis anni Vere, cum se Eclipsis Lunæ offerret, eâdem diligentia calculis inspectis, patuit nec pilo aberrasse. Adverti illico hominem hunc à cœlo ætati nostræ submissum, atque Imperij ornamen- to, cuius regimen suscepseram. Quare Calendarij curam ipsi uni ac soli comisi: & quia Joannes Adamus à pueritia castus est, nec ulla negotia, ab ejus instituto religioso aliena, in se re-

cipit, necessarium duxi ad hoc suscipiendum, absolute eum imperio constringere, eique secundi ordinis dignitatem ac titulum arcanorum cœlestium Magistri addere: quo in officio annis jam aliquot occupatus, quotidie plus studij & diligentiae adhibet. Et quoniam intra Regiam urbem templum habet, in quo secundum ritum legis suæ Deo sacrificia offert, contuli non nihil ad illud ornandum: quod cum insuper intrassem, adverte tam imagines quam utensilia peregrinum aliquid, ac Divinum referre. De libris quoque, quos in mensa positos conspexi, ipse quid continerent interrogatus, complecti explicationem legis Divinæ respondit. Applicui alias animum ad doctrinas YAO XUM CHEU: nec pauca ex Tartarorum ac Chinensium voluminibus lectione percepit, non immemor eorum quoque, quæ sapientes FÆ & TAO, quamvis recondita, nec satis enucleata traherunt; quamvis etiam ferre judicium de lege DEI nondum planè mihi perspectâ possim; at tamen dum considero Joannem Adamum, qui tot annis apud Sinas & Nobiscum versatus legis Divinæ experimentum ac formam vivendo exhibet, eam omnium optimam esse judico. DEUM namque ille reveretur adeò, ut eidem templum hoc dedicârit: tantâ personæ suæ integritate & modestiâ à tot annis eadem semper methodo huic legi se conformat, ut nec apicem

cem variet: profectò istud solidæ perfectionis indicium est, & ipse se hominem probatissimæ virtutis esse comprobat. Utinam Magistratus mei hanc ejus industriam serviendi DEO, & deserviendi suo Imperatori saltē adumbrarent! procul dubio multis partibus meliùs & feliciùs mecum & cum toto Imperio ageretur. Quod ad me attinet, Ego hanc ejus vivendi rationem vehementer approbo & laudo, ideoque ad perpetuam hujus rei memoriam hunc ejus Ecclesiæ titulum præfigo. *Che sù tum hiueu Kia Kivèu:* quæ voces ad verbum significant: Excellentem penetrando cælo locum, domui Regiæ charum. Cui inscriptioni addidit Pater Adamus in aversâ facie arcûs picturam, viæ Regiæ ad cælos, cui symbolo Ecclesiæ nomen ab Imperatore designatum, aureis literis inscrisit Sinico ac Tartarico idiomate. Subiunctum est encomium inscriptionem explicans versibus Sinicis comprehensum, ut plurimùm decem; at Ecclesiæ isti Rex duplicitos indulxit. Hos quâ potui, inquit P. Adamus, non quâ deberent, arte, ferè ad verbum latine sic reddidi.

Immensa cæli machina
Nunquam rotando deficit,
Planeta quisque proprium
Eundo motum conficit.
Hinc omne quod cælo subest
Ortum exitumque postulat:

Ars cuncta deinde machinis
 Observat atque supputat.
 Europa nobis hospitem
 Submisit isthuc inclytum,
 Sunt astra, & horum calculus
 Statim reducta in integrum.
 Ut muneris sic Numinis
 Oblitus haud unquam sui;
 Dum debitum signis sacris
 Temploque cultum præparat,
 Dum sedulus servit DEO
 Et munus exæquat suum,
 Chinensibus & Tartaris
 Tum forma vivit ætuum.

CAPUT XVIII.

Templum DEO publicè erectum. Pietas &
fervor Neophytorum Chinensium.

Annis ferè octoginta Societas in Regno Chinensi Christum annunciat, nec tamen illum templum palam aperuit; vel quia, quod Magnificentiae alicujus Basiliæ extruendæ sufficeret, ad manum non erat: vel quia liberè non audebant rem tantam lege nondum latè promulgatâ aggredi: subvereri etiam poterant Gentilium insolentiam, pro-

promiscuè aliena subeuntium, ac tali loco nullo prohibente indigna temerè machinantum. Privato itaque facello intra domesticos parientes extructo, atque Ethnicis, cum aliquo delectu, illuc admissis, ut plurimum contenti res Divinas, solatio Christianorum, & incitamento Catechumenorum peragebant. Deo tandem dante, & Astronomiæ studijs viam facientibus, postquam Tartari sceptrum tenuere, occasione exustæ urbis, & dirutarum ædium, quæ ad fabricam necessaria abunde præstiterunt, magnâ vi laterum ac lapidum & in materiæ facili pretio coemptâ, nullâ quidem tum petitiâ licentiâ, quod Tribunal rituum lege Regni hanc sibi reservatam ægrè concessurum crederetur: sed solâ authoritatâ audente, quam intra paucos annos instauratio Ephemeridum, & gratia novi Principis pepererat, anno septimo imperij, qui quinquagesimus fuit post sexcentesimum millesimum, datum templo initium est, Regulorum maximè & amicorum sumptibus in sequenti anno perfectum.

Patebat area domui Patrum conjuncta trium fortè domiciliorum, quæ ab exustis per latrones ædibus deserta perstiterat, & vacans. Hanc quoniā interjacebat ædibus & Academiæ, in qua Calendarij correctio desudabat, dono expetij à Rege P. Adamus & impetravit: duarum ædium spatio, in Templi, & adytorum atria designato,

actertio pro DEIPARÆ facello , in quo mulieres
convocarentur seorsim à viris , ad propriam
in lege Divina institutionem relicto . Mensus
híc pedes Geometricos octoginta in longitudi-
nem , & quadraginta quinq; in latitudinem
crucis figuram expressit . Iactis fundamentis ,
corpus templi in tria interstitia per columnas
distinxit : lateralia ambo in laqueare ; medium
utroque augustius in fornicem fecit assurgere ,
atque hoc tholo eleganter depicto claudi : Fe-
nestræ ex utroq; latere pares , & amplas ,
quemadmodum in frontispicio quoq; appositæ
aperuit . Frontispicium lapis propè continuus
cum coronis , quibus præcingitur exornat , Eu-
ropæas artes imitatum . Fastigium triginta & ali-
quot cubitis assurgit , & quia tota latè vicinia e-
minet , aspicientiū eminus oculos ad se evocat .
Atrium uniformiter quadratum , latus quodlibet
per centum pedes extendit lapide universim , &
lateribus stratum : ad istud ex platea ascensus
est graduum quinque . Propyleum , more Euro-
pæo , lapideum , inusitato apud Chinenses ope-
re , porticus excipit : sub hac sedilia muro af-
fixa locum præbent , quò , qui Divina officia
præstolantur , habeant , unde se ab æstu & pluvia
recipient . In medio atrij stat arcus , è candido
marmore varie sculptus , inque tres forni-
ces & portas distributus . Additus postea
huic in ipsa platea lateritius alter , materia e-
qui-

quidem priore inferior; arte verò ac sumptibus longè illo eminentior.

Quinque aræ in æde sacra visuntur. In majori Salvator sedens, unâ manu mundum sustentanti, alterâ, populo benedicenti similis, exercitu stipatus Angelico, & Apostolis circum geniculantibus exprimitur. Intercolumnia altaria, Patriarchas Ignatium, & Franciscum Xaverium, repræsentant. Aliud ad lævam Divæ Virgini, quam majorem vocant; ad dextram (qui situs apud Sinenses minus principalis est) Divus Michaël cum Angelis colitur; Singula per transennas, ad ornamentum juxta, atq; arcendum vulgus munita. In Templo toto cera (hâc solus Imperator & Reginæ utuntur) candore nivem æmulans, & alterius ceræ pretium, quater & amplius excedens, quam Regina Mater abunde suppeditat, succenditur. Ardet illa non tantum in altaribus, sed in mensis quoque, in quibus ad singulas aras odoramenta accenduntur, quolibet ex Majoribus festo die. In parietibus auratae tabulæ ordine dependent; quibus legis præcepta, opera misericordiæ, beatitudines, & reliqua Catechismi axiomata, majusculis litteris Sinicè descripta exscribuntur. Pavimentum tessellati operis est; sed tamen præterea tapetibus & ad decorem, & ad commodè flectendum semper insternitur, quæ stragula festi-

234 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*
vis & solennioribus diebus melioribus per-
mutantur. Ultra interius superliminare
Templi marmorea tabula visitur, cum hac in-
scriptione: Post fidem à Divo Thomâ Aposto-
lo primùm advectam, póstque eandem à Sinis
tempore Imperii Tâ M iterum & latius propa-
gatam: tertio rursum sub Imperio Mîm Duci-
bus S. Francisco Xaverio, ac postea P. Matthæo
Ricci per Societatis JESU homines, & verbo,
& libris Sinicè editis divulgatam, magno tum
equidem studio & labore, sed fructu propter
Gentis inconstantiam non satis fœcundo; de-
voluto jam ad Tartaros Imperio eadem Socie-
tas pro instaurati per suos Calendarii, X
Liêu Liè dicti, laborum coronide, Templum
hoc DEO Optimo Maximo publicè posuit,
dicavítq; anno Jubilæo millesimo sexcentesimo
quinquagesimo, Imperatoris XùNCHY septimo.

Simile est quod arcui marmoreo in aversa
facie insculptum legitur: Anno instaurati Ca-
lendarii Gregoriani P. Matthæus Riccius Ita-
lus, primus è Societate JESU intra regnum, &
deinde Pequinum penetrans, dedit Euclidem,
cum Arithmeticâ: Socios è pluribus Europæ
Regnis sibi in urbe regia cæterisque Provin-
ciis successores relinquens. Donec vigesimo
tertio, supra millesimum sexcentesimum P.
Adamus Schall, & unâ ferè P. Joannes Teren-
tius ambo Germani instaurando Calendario
Chinenium fundamenta jecere. Quod dum

facerent, Terentio è vivis sublato, substitutus Pater Jacobus Rho Insuber, cum P. Adamo Calendarium exorsus est; Sed paucis annis interjectis, illo etiam ad plures profecto totius instauratio negotium P. Adamus solus absolvit. Qui post varios viginti annorum labores, non sine multorum invidia, XY LIÊU LIÊ, Calendarium novâ methodo (de antiquorum duntaxat ad moderandas vulgi perplexitates solitis electionibus nihil immutando) restituit, & ob rei Christianæ exinde jam emergens stabilimentum extructo templo, arcum quoque DEO & B. Virginis gradus erexit, dicavitque anno salutis millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo, & X Û N C H Ï J Tartarorum nono. Ad latera hujus inscriptionis, aureis & cubitalibus litteris Sinicis, veram; Chinensium quoque sententiâ, legem ab Occidente huc allatam esse, & tradi dicitur; In anteriori facie, medium occupant quatuor litteræ similiiter aureæ, ab Imperatore in laudem legis prolatæ: Lævam tenent totidem à sexagesimo sexto, nepote Confutii litteratorum Principis, dattæ: quod honori concessum est talis viri, tantâ ab origine ac trium jam millium annorum successione, Duxis titulo clari, Patri Adamo acceptissimi. Dextram Tribunalis rituū præsidis, ac postea in supremo senatu C O L A I, penes quem exterorum omnium, atque etiam templorum cura stat, eximiæ existima-

tionis viri, in laudem DEI conditum elogium ornat. Arcum extēnum litteræ, encomium recens ab Imperatore datum, ac supra relatum complectentes, satis supérque commendant; In atrio patent alia duo marmora, quibus incisa series patrocinii Regii tam in concedendis ædibus, quām in committendā Calendarii curā, edictorūmque tenor describitur.

Ornatum templi, qui oculos de teat, extēriorem, amplius commendat ille, qui animos pascere natus est Pietatis interior, & à cordium, p̄o DEO ac Religione conſpiratione, s̄epius hac in æde congregatorum proficiscitur. Quis credat in extremo orbe apud remotissimos à Religionis capite, totōque fidelium cœtu Chinenses cum veterānis Dei cultoribus concertare de fidei fervore Neophytes? Templum equidem istud, & artis raritate, & formæ nitore reliqua Idolorum fana exsuperat; quod tamen illi frequentiam majorem, ac delubris imperitarum superstitutionum, comparat, singularis est DEI dexteritas, occultis machinis, quamvis obluctantes animos ad se pertrahentis. Nulla dies est, vel à sacris solennioribus feriata; in qua summo manē ad Missæ sacrificium non accurvant Neophyti: nulla hora diei quā ædem D E I non intrent, ad mercatum quāsi, sed virtutis, eentes & redeentes Ethnici, plerumque igniculi aliquid sacratioris, versūs Divina in pectore secum aſpor-

sportantes, quod conversio eorum frequentior attestatur. Imaginum splendor, & aræ mæstas, ad reverentiam designato per eam Numini, mente, vel actione præstandam provocat. Catechismi capita, Christi item, ac Deiparæ vita, una cum Angelorum historiâ deauratis tabulis summatim comprehensa, & circumfulgens, litteris vel leviter tintatum solicitat, ut legat, ut intelligat, ut commodo suo applicet. Sunt ex Christianis nonnulli, qui hâc solâ viâ per ostium ingressi, nunc de ovili Dominico censeri se gaudent. Hos non sine vaticinio, in superliminari templi, incisum carmen invitabat.

*Quâ monstrat Salvator iter cum Virgine
Matre,
China diu amissam concita carpe viam.*

Summo manè, priusquam urbe ad diurnas operas exeant, foribus Ecclesiæ adhuc obseratis, magno animi sensu, in atrio depositis sarcinulis, quas deferunt, humillimè in terrâ prostrati Deum adorant, atque eâ reverentiâ atrio, quâ templo egredientes dorsum loco sacro obvertere reformidant. Primis annis, famâ evocante ex vicinis civitatib⁹, & pagis quasi votivâ supplicatiōe frequentissimi advolabant: piāmq; consuetudinem,

nunc

nunc quoque postquam Christo nomen dederunt prosequentes, quotannis, bis, térvè, turmatim septem, & octo dierum itinere adventant. Nullus abit dies, quo ad vesperam is, qui curam habet Eleemosynæ legendæ, non colligat centenos nummulos, depositos in mensa incensorum, in pauperes distribuendos, fidelium juxta atque Ethnicorum liberalitate comportatos. Pro instructione rudis vulgi, ac imperitorum, duo proiectæ ætatis viri, ad id constituti, totâ die in templo assident, eruditioni adventantium totos se impendentes. In Catechismo explanando collegam sibi adscivit P. Adamus, quocum alternatim doceat, è Chinensibus Neophytis, ætate sexagenarium, olim inter Gentiles licentiatus honore donatum, eximiæ apud Catechumenos, præsertim literatos authoritatis hominem, tanto ad persuadendum apud suos efficaciorum, quanto penitus domesticum.

Operâ istorum unius in Residentia Pequinensi, turbatis Imperii prioris, atque primis translatis temporibus, superstitione Sociis P. Adamo collaborantium, ex adultis baptizati sunt supra quinques mille, quotidie numero increbescente. Non abit dies festus, quo seni, septeni, ac plures fidelium cohortem non augeant.

Con-

Congregationes utriusque sexus, statutis diebus per singulos menses quinque celebantur. Virorum ternæ sunt. Una montis pietatis nomine insignitur; Altera instituta pro animabus purgatorii, per suffragia, ac preces sodalium sublevandis. Tertia pro pompis funeralibus, antecedentium reliquarum maximè necessaria. Calumniantur quippe Chinensis Gentiles legem Christianam, nulla exequiarum justa, nullam curam pro demortuis habere; Omittere parentalia, tanquam Parentum barbarè oblitos: suos sine pompâ, & deco-re sepelire, licet antea ab honore, & beneficiis impensè coluissent. Fœminæ non absimili modo in triplex sodalium agmen distribuuntur. Die constitutâ convenientur seorsim Viri & fœminæ; & quisq; quantum vacat, nummorum pro congregationum expensis in mensa incensi deponit. Tum Missæ sacrificio de-votè intersunt. Sub hujus finem conciunculam pro re propositâ auscultant, & tandem simul vel litanias vel alias preces in comuni re-citant. Omnia consuetudinis, ac muneri-
ris est, infantes ejectos in plateas baptizare, & gros ad confessionem inducere, pauperibus elemosynâ subvenire, mortuos ad sepultu-ram comitari. Frequentissimi ad Divina officia convolant, nec tamen ullus stre-pitus, aut colloquentium murmur audi-tur: Nullus ridere, aut incompositi a-nimi

nimi quidquam præferre. Quoties stan-
dum aut flectendum, id unà solent omnes (quo-
niā ita edocti) præstare, planè ad genium pie-
tatis, imò & ingenium gentis, quæ in cære-
moniis quoque politicis observandis admodum est
superstitiosa. Sacrificio Missæ Alumni Tri-
bunaliſ Mathematici deserviunt, literarum stu-
diis applicati. Hi aram circumstant aperto ca-
pite, superpelliceo induiti, eâ modestiâ & gravi-
tate, ut novitios religiosos repræsentent. Quo-
tidie bini assistunt, festis vero diebus quatuor,
& si major solennitas occurrat sex, aut octo.
Tunc enim & acolytorum & thuriferariorum
officium agere: Sacerdotem & populum incen-
sare: aliisque ad ministerium altaris pertinentia,
exætè, concinnèque nôrunt obire, ut populo
ædificationi æquè ac admirationi existant. Si
Baptismus occurrat celebrandus, nunquam ille
sine assistantibus binis & superpelliceo ornatis
perficitur: Si Ecclesia verrenda, aut exornanda,
continuò vel omnes, vel plerique præstò sunt:
Suppellectilem sacram sollicitè ac decenter
pertractant: Ad tumulos more Christiano bene-
dicendos, ad defunctorum ædes officio mortuo-
rum pro ijs celebrando unà comitantur; ita,
quemadmodum rerum sacrarum dignitas suo ju-
re deposita, ubique studio ad votum conspi-
rante.

Non.

Non prohiberi se à dignitate suâ Pater Adamus interim patitur , quam hîc terrarum alij nativæ arrogantiæ tenacissimi aliâs fortissimè propugnarent , quò minus divisus ad omnium sacra subsidia omnibus adfis : eminentissimo Apostolatûs officio, cæteros honorum Regiorum titulos , suo jure antevertente . Administratio nem Sacramentorum ipse peragit : festo die ad concionem unus perorat : Utinam (ejus verba sunt) talenta & vires , tam multiplici actionum generi , ex animo impendendæ singillatim æquâ multitudine , in hoc sociorum defectu suppeterent ! Festa Pietatis Christianæ vulgaria , ut Theophoriæ , ac Christi morientis , ibi triumphali apparatu deferendo velatum sub speciebus Eucharisticis DÆUM ; hîc lugubri per funalia luce piè accendendis ad sepulchrū , inter Angelorum repræsentata studia , affectibus accurrentium , more Europæo celebantur . Deferendæ ritu consueto Eucharistiæ , qui illam inumbret , magni pretij pannum , auro & serico intertextum , huic officio dedicatum unus è Regulis donavit .

Accurs' ipse Ethnicorū , sæpe promovet amplius , quâm intercipiat , pietatē . Præsentiu illorū æquè , ac domesticorū adstantiū nulla est differentia . Nemo unquam repertus , qui , dum Divina peragerentur , vel in risum solutus , vel

Q

ela-

242 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*
elatiori voce usus, communem divertisset pietatem. Majestate actionum, ipsiusque adeo Numinis, augustiore præter solitum præsentia, injuriam omnem prohibente, & reverentiam arcana vi, vel ab hostibus sibi evincente.

CAPUT XIX.

De raris cuiusdam pueri ad ædificationem.
Exemplis.

Debarentur ætatibus singulis encomia, quæ singulæ præclaris virtutibus per hæc tempora excelluerunt. Ab adolescentia placuit incipere & meminisse parvuli, qui cum Templi in Urbe Regia fundamentis Christianæ pietati subnatus, postea consummatus in brevi, raptus, ne malitia mutaret intellectum, meruit in templo gloriæ, uti creditum, citò præsentari. Filius is erat Reguli, Regis Sanguini propinquus, natus anno, quo Tartari Imperium auspicabantur. Hunc Mater quintum diem, ut eniteretur, laborans, desperatis undequaque, quæ corrogabantur mediis, ope tandem reliquiarum sancti Ignatii D E O confisa, ac invocationi Divi illius Patriarchæ, demum partu levata est.

Quam

Quam siboli salutem sacra lipsana attulerant ;
Matri quoque incuria de prole lœtantium, pro-
pè neglegitæ præstiterunt. A secundinis non
libera spiritum trahebat ; cùm præter amuleta
sacrarum reliquiarum, manui Puerperæ tradi-
tus cereus benedictus, opem attulit, atque æ-
gram sibi restituit. Crevit interea parvulus,
& non ita certè naturâ, ut D E O intus monen-
te, & rebus sacris sua reposcentibus, semper
memor beneficij adolevit. Rogatus enim ;
an seriem aëtarum rerum, cùm in lucem ede-
retur, rescißset? arcana vi, & relatione cætero-
rum se meminisse respondebat, & vivere ingra-
tum non velle iis, præter quos nec potuisset
vivere. Rebus itaque sacris & sospitatori P.
Adamo per totam, quâ vixit ætatulam, adhæ-
fit, præ cæteris fratribus natu majoribus, gra-
tiam ab origine primam recolens, & officio-
rum, quo licebat genere, compensans.

Matre postea cum fratribus aliquot, morbillorū
virulentia è vivis sublatâ, judiciarius qui-
dam Patri persvasit, filium hunc natu minimum
genii non Chinensis, imò aversi à progenitori-
bus, & à sanguine regio degeneris fore, qua-
propter amotum à se, & è Palatio dimissum,
inter extraneos vellet. Prævaluerunt insa-
na prognostica supra naturam : Pater extorrem
parvulum fecit ; quamvis consanguinei il-
lum, ut egregiæ indolis puerum, quam præ

Q 2

se

se ferebat, completerentur. Ubi sextum
ætatis annum hæc spes rerum Christianarum at-
tigerat, in morbum incidit periculosem; à quo,
cùm nullâ medicorum ope posset liberari, jám-
que deploratus triduo toto nihil gustasset, voce
interclusâ tantùm non spiritum ducebat. Ad-
monitus de periculo P. Adamus adfuit, & pro-
curandi salutem animæ nondum per sacramen-
tum baptismi renatæ magis, quām corporis proximè,
ut credebatur, deflendi solicitus omnia secura-
fore & facilia, dummodo sibi permittatur, pro-
mittit: utique ei vitam viventi expeditius ser-
vaturo, qui eandē procuraverat nondum nato,
ijsdem medijs utrobique efficacibus, & valitutis.
Promissio, quòd videretur temeraria, à pluribus
qui aderant, risu excepta est, ab alijs funeralia
jam apparantibus non sine indignatione audita.
Consensit nihilominus Paren's, & puer curæ spi-
ritus, quæ prima intendebatur, commissus, P.
Adamo traditur. Hic instillatis ori aquæ gut-
tis aliquot, olei item ac salis, magis ad tegendum
baptismi consilium, quām quòd corpori profu-
tura hæc constarent ablutus ob originis vitio &
emundatus in Christianum est, ac Joannes nun-
cupatus: Quando insuper, nondum horæ qua-
drante elapso, salus corpori reddita est; præsen-
tibus, qui priùs aderant stupore defixis. Aper-
tis oculis revalescens circumspicit, manibus
que jam suis innitens, & non nihil se erigens,
adju-

adjutusque ab adstantibus resedit, qui videbatur mortuus. Prima vox fuit, quâ P. Adamum compellans, Patris eum nomine salutavit, atque animæ curam, ut haberet, cuius vitam temporalem adjuvisse visus est, postulavit. Restituto subinde in integrum adolescenti persuasum fuit, ut pro gemino beneficio, cælitus accepto, gratum se præberet, atque templum a diens, ibi sospitatem DÆUM adoraturus fidem palam profiteretur. Lætus consilio, splendidè, quemadmodum Reguli Filium par erat, induitur, innexaque collo coronâ precatoriâ, sacrâ reliquiarum bullâ appensâ, gestiens hoc ornatu amplius quam paterno illo, genitorem adit, licentiam fistendi se DEO, abjectus in genua flagitat. Verum homo gentilis, & avitæ superstitionis tenax, filij preces firmatus ut non audiat, ne tamen non audire videatur, differt, & quâ potest arte eludit, compositis tantisper ad conciliandum & à mærore avocandum filium verbis. Interea ad sacrificandum Dæmonibus, pro salute filij restitutâ, domi suæ se accingit; magno errore, & perquam vano, gloriam DEO debitam daturus alteri. Et verò tenebrarum princeps non defuit, destinatæ sibi veneratiæ promovendæ. Egressus adolescens à Patre, in conclave se receperat tristis, sed obfirmatus animo non participandi de paterno scelere, & neutquam negandi ejus, qui se per

Q. 3 bene-

246 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

beneficia geminatae salutis prior attraxerat. Repente sonitus, quasi tumultus comprimenti-
um se turbarum, & per cubiculi fenestram ir-
rumpentium ad aures allabitur; videt ignei vul-
tus ingentis staturæ virum, eo schemate quo
QUON, YUN Idolum visitur, cui tum Pater mo-
mento litabat, cum pluribus aliis nigri oris,
parisque staturæ monstris adversus occurren-
tem. Exclamat parvulus, & ingenti metu
excitus ad lamenta domesticos implet, nec con-
sternationis causam valens explicare, consilii
inopes, (quod unum trepidis occurrerat) si-
lentio compellit ultro jam præstare sibi, quod
antea improvidè negaverant. Defertur
ergo ad Ecclesiam, Patri Adamo commenda-
tur, atque hoc, ut sibi videbatur, imposterum
hospitio tutus, ipse inter Christi Domini ac
Deiparæ sanctissima nomina oculis & auribus
proposita acquievit. Commodum accidit
ad pueri institutionem permisum à DEO terri-
culamentum, & facta per dies aliquot domus
paternæ mutatio. Assuevit enim exinde ma-
nè, & vesperi, flexis genibus coram imagine
DEO se commendare, aquæ lustralis & sacris
reliquiis habere pretium, quotidie Missæ sacri-
ficio interesse, quidquid ad fidem doctrinamq;
pertinet, plenè ediscere. Nec imposterum
Regulus domum postliminio receptum, vetuit
frequentare Ecclesiam, quin etiam profectus
ad

ad bellum, filio ibidem prosperorum eventuum suscipiendum pro se patrocinium commendavit. Usus enim verò hâc occasione est strenuè adolescens ; Nam per istos , quibus Parens ad bellum discesserat menses, sumo manè ipse ferè primus in templo comparuit , & non nisi inclinato in vesperam sole recessit . Demirabantur omnes hanc parvuli perseverantem devotionem, volatili illi ætati raro insitam . Provectiores modestiâ & compositione vultus imitabatur . Absoluto sacrificio reliquis recedentibus ipse ad collaterales aras in genua procumbens B. Virginem & sanctos Angelos pronus venerabatur . Diebus festis dum post Missarum solennia concio haberetur , ipse in eodem loco , ubi genua prius flexerat, præter puerorum morem stabat immotus, sacræ eruditio intentus. Interrogatus : num quæ ibi dicebantur , intelligeret ? repetebat sumatim aliqua , quorum multi ex adultis non meminissent . Erroris, si quis per ætatem inadvententi obrepisset admonitus, verecundiâ ac profusis lacrymis pænitudinem testantib' , ac promissis secuturæ fideliùs cautelæ respondebat . Post peractum Missæ sacrificium sacerdoti gratias agenti propè assistebat itidem de genibus, communio Domino de participato sacrificii munere, inatâ inclinatione magis, quam persuasione humanâ, gratias redditurus. Assurgebat per id

Q 4

tem-

tempus recens Deo templum , atque ideo dispositæ in pavimento sacræ imagines , donec tabulæ ad ipsas excipiendas , & ornandas pingentur. Ad has frequentissimus , nunc genu flexus , nunc repetitis amplexibus atque osculis piè admotis adstans , quo poterat modo , amorem & reverentiam contestabatur. Interdum avulsus à famulis prehensâ manu seorsim , atque ut plurimum ad Templum secum invitabat Patrem Adamum , ut sine teste liberius de rebus Divinis audiret ; jam enim molesti esse illi , & verò etiam prohibituri tandem videbantur , innoxiam rerum sacrarum hanc in puerò cupiditatem... Nec tamen etiam divertebat semper eorum præsentiam , quin libros picturis sacris ornatos evolveret , & vel ab ipsis , quod una eos ipse scire desiderabat , quid illæ icones docerent studiosè perquireret , obstrepentes gravi supra genium dissimulatione compescens. Inter alia libellum , ex icunculis ab infantia ad usque Passionem , Christi vitam referentibus , comportatum assiduè voluebat manib' ; sub initium de singulis sollicitè inquirere ; ac subinde doctior de illis duntaxat , in quibus hæsitaret , solitus interrogare ; ut vel nolenti fidem faceret se ex animo rem gerere. Ex quæstionibus assiduis erat : Quale discrimin in cælo inter Sanctos & Angelos ; quæ meritorum , & prærogativæ cuiusvis ibi excellentia ? quæ eminētia

lia Beatissimæ Virginis? quæ omnium ad ipsam
& DEUM comparatio? Initio Idola patria dis-
quirere inter Cœlites conabatur; postea nullâ
amplius eorum mentione factâ liquidò mon-
stravit, nosse se, locum non esse illis in cœlo.
Inter cæteras passionis Christi Domini repræ-
sentationes, Judæ proditoris vultum notaverat
præ cæteris à pictore carbone signatum. Intel-
lectâ dedecoris causâ, quotiescumque in libro
obvium haberet, torvis oculis intuens accusa-
bat proditorem, & indice faciem scelerati im-
petens crimen exprobrabat, certo concepti in
Christum amoris indicio. Quondam ægrotanti
affidens medicus, sensim arti suæ diffisus, pa-
raverat spiritibus malignis supplicare. Jam
mensa posita cum thimiamate piëtam dæmonis
imaginem ferebat. Adfuit inopinatò P. Ada-
mus; rogatus tantisper, dum vacaret accessus,
opperiri, fraudem advertit. Itaque dilatos
præter morem aditus audax perrupit, impor-
tunus sacrificio impietatis, opportunus pieta-
tis subsidio. Lætus cœli suppetijs adolescens,
hucusque tristior, prævertens salutationem o-
mnem, nec differens, de mæroris causâ inter-
rogari, fulmina verborum coram Patre expedit
in Medicū: Iste, inquit malis artibus morbū mihi
aggravat: iste occidit, dum sanare vult: & hi o-

Q 5

mnes,

mnes, famulos digito comonstrans, me neglecto beneficium adjuvant, & hosti meo adstipulantur. Illico disceptâ in partes dæmōis effigie, abjectisque profanis ornamenti, mensaque cum medico amotâ gavisus conquievit.

Quæ in pectore boni adolescentis versus DEUM ob beneficia collata, gratitudo radices egerat, eadem quoque versus instructorem, ad optimâ quæq; sibi documento factum, prono affectu ferebatur. Postquam manè DEUM in Ecclesia adorasset, Patrem invisebat provocatus in genua, de more gentis ter, aut etiam quandoque novies, capite in terram inclinato, primum consulutans. Prohibebat precibus ac monitis, hoc obsequium Pater, aut saltem rariūs exhiberet, imperabat. Verum deberi hoc ab se gaudens reponebat ille. Quid? quod etiam famulo domestico, quod ægro nuper deseruisset, aut saepius invisens fuisset consolatus, similibus officiis se gratum præstabat. Bellaria & fructus sibi submissos protinus deferri ad Patrem Adamum, aut ad hujus adventum differri, tum hospitis honori, mensæ apponenda jubebat. Eundem si fortè fatigatum, aut negotiis præpeditū intelligeret in suo conclavi detineri, tacitus præ foribus assidebat,

pro-

prohibebâtque omnem tumultum, importuniūs accedentes, vel illac transeuntes admonens ne facesserent molestiam. Placebat Parenti Regulo, iste filii in Patrem, à quo vitam spiritualem hauserat, affectus, & quamvis homo cæteroquin militaris cum sequacibus suis, id fato, & teneræ assuetudini identidem totum adscriberet; tamen arcanâ vi ferebatur, ut negligi se, & penè ignorari à filio pateretur, dum hic in Patrem Europæum totus abripiebatur: majori utique efficaciâ dilectionem confirmante propinquitate animæ, quam corporis; & rectè credito fatum esse, quod immortalitati gerebatur. Admonitus adolescens, ut in ægritudine valetudinis Magistro imposterū obtemperaret, collecto vultu; equidem hactenus, quidquid secus egisset, non nisi ex morbi intemperie, & vehementiâ ægritudinis accidisse dixit, cætera promptissimè, quæ mandaret Pater, executum. Exploraturus propositi fidem medicus, pharmacum propediem propinan- dum Patri obtulit, quod decubenti deferret: non fefellit opinio; continua- tis diebus tum Patri tum domesticis amara- quæque & insveta offerentibus promptissimè paruit.

Ali-

Aliquando aulam ingressus invenit involu-
crum picturarum, quas Regio dono acceptas,
ut essent ad manum, super umbone servabat;
Dum has exoluit, incurrit in effigiem P. Ada-
mi, quam Discipuli honoris, & amoris ergo,
pingi curaverant; atque unam quidem iusta
staturæ sed habitu Tartarorum: alteram longè
minoris, sed ornatam habitu sacro cum super-
pelliceo & stola. Illà puer amotā, hanc,
quamvis esset deterior, & prototypo dissimi-
lior, quia tamen religionem repræsentabat,
ad parietem appendi jussit, & protinus in ge-
nua procidens more Sinico adoravit: illum
utique simul reveritus in effigie, cuius ipse qui
penicillo erat expressus, studio & voluntate
nitebatur esse imago: pietatis videlicet Chri-
stianæ auctorem D E U M. Mox evocatum,
qui fortuitò aderat, Patrem, quasi magni mo-
menti causa subefset, ignarum consilii ducit
in conclave, ibique præsentem sedulò cum
effigie confert, atque istam rursum, ut antea,
reveretur: pari hilaritate conversus ad Patrem
suum spiritualem pariter adorat.

Accidit ut famulus, qui Patrem deduce-
bat, vestem adolescentis curiosè circumspici-
ens plusculum laudaret (erat hæc pretiosarum
pel-

pellium, & artis juxtâ ac materiæ præstantiâ
dives, advertit cupiditatem puer, statimque
exutam donare proposuit. Prohibuerunt
domestici affirmantes frustra donari vestem;
quâ usurus non esset qui acciperet, subintu-
lit puer: dabit alteri; si recuset uti: dabit pro-
pinquis: dabit quibus velit benefacere. Non-
dum illis assentientib' ad argumenta parvulo-
rum lachrymas confugit, omnibus persuasu-
rus. Descensum tandem est in pacta utrinq;, ut
parvulus vestem hanc tamdiu servaret, dum
majorem aliam & aptiorem pro famulo, quâm
Regulus promiserat, donaret, illico traden-
dam. Conditione acceptâ seponi vestem
suam tam diu voluit, donec altera, quæ expe-
ctabatur sibi ac famulo obtigisset.

Prolixi morbi cùm soleant esse tædiosi, &
vix ab adultis patienter tolerari, non tamen
dejecerunt animum, aut abstulerunt patienti-
am, & magnanimitatem pueri. Mensibus
aliquot ægrotavit, succendentibus sibi morbis,
& quandoque plenâ acie confertim invadenti-
bus; nunquam tamen evicere, ut verbulo con-
quereretur, aut suspirio vel contractiore vultu
deliquium aliquod animi proderet. Interro-
gatus quâ valeret, constanter respondebat: be-
ne: atque dum pedibus valebat insistere,
ve-

254 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*
vestibus indui quotidie voluit auratis , ac cim-
gulo ita corpus aptari , ac si hospites exceptu-
rus , aut ipse aliquò profecturus esset. Erupe-
runt varijs in corporis partibus apostemata ,
quæ licet torquerent , non ferebat impatienser:
ubi maturis illis admoveare manū ad elicien-
dam saniem opus erat, idque fortassis crudelius
agerent domestici , quām fractæ ferrent vires ,
invocato saepius D̄eo ut misereretur ; blandi-
tortores , qui ista exequabantur ferocius , allo-
cutus ; parce frater , ajebat : rogatus postea-
num iratus fuisset , minimè inquiebat , quin po-
tiū debitorem me agnosco beneficij. Recusa-
verat nonnullis vicibus pharmacum in domo
paterna : Itaque ut persuaderetur , fuit introdu-
ctus unus è militibus , qui truci vultu minaci-
būsque verbis puerum ad obsequium compel-
leret : Prævenit adolescens , & imperterrita
vultu pharmacum manibus prætendens , con-
versus ad militem atrocibus vicissim verbis ho-
minem involavit , tum enim viciisse visus po-
culum constanter hausit. Interrogatus , cur
sic egisset , Respondit : servus est Patris mei ,
idēoque & meus : unde ergo illi vel tanta au-
toritas , vel mihi ab illo metus ? non decebat
interea nec de morbi , nec de medicīæ amarore
me conqueri , minus ipsius comminatione per-
terrefieri.

Mense

Mense uno, antequam puer obiret, Pater Regulus, Imperatorem extra muros, qui Regni confinia terminant, venatum comitaturus, destinabat unum è servis, qui filio erat cæteris molestior, secum deducere, ægrè audijt imperata servus, itineri & incommodis præter conditionem inassuetus. Non habens, qui patrocinium susciperet, ab illo, quem toties offenderat, adjutus est. Nam continuò injuriarum oblitus, quod adverterat famulo gratum fore, omni ope procurandum suscepit. Quin imò suis diffisus viribus collegam ad persuadendum adscivit P. Adamum. Initio repugnabat Pater, & suadebat, ut perversum hominem à se removeri pateretur: tum ille: à te ipso, Pater mi, didici bonum pro malo reddere, ecce nunc hujus præcepti adimplendi occasio, cur negligam? Ita utrobique persuasit, ac servo impetrata à profectione vacatio; Verùm homo hic, beneficio nil melior factus, post unum diem, alterumve ut antea solebat, sine causa adolescentem affixit: quando captato alloquio Pater: ecce inquit, Genitor tuus nondum discessit: vis faciam ut illum socium abducat? At ille placidissimo ore, eja respondet, ne nos beneficium contulisse peniteat! Cùm advertisset medicos de sua salute diffidere, evocato Patre seriò

con-

contestatus est, se mori paratum, suos admonens, ne ultra tempus & pharmaca perderent. Subinde applicatum per errorem emplastrum, cum denuo removeretur, tam copiosus repente sanguis e plaga effluxit, ut mox videtur deliquum secuturum, & jam qui circumstabant, parabant lachrymas: sed ille quasi nihil advertens intrepidè ad Patrem; nondum inquit, sequetur anima, mi Pater, præterquam quod mortem non timeo nihil morabor, si Dominus vocaverit. Quando aliter non poterat, oculis crebrius & diutius in Patrem defixis animum valedicentis atque ea, quæ didicerat, animo exequentis indicabat. Aderat forte dies S. Joanni Baptistæ sacer, quo ferebat conjectura emigraturum; quoque ipso biennium ante, tum sexennis baptismum, ac nomen Joannis susceperebat, cum improvisò crustulas aliquot panis faccaracei ab Ecclesia sibi afferri postulat, alterius loci panem se non esurire professus. Visus fuit omnibus exinde meliusculè habiturus imposterum, quamvis tantummodo ultimus rerum caducarum appetitus hic fuerit. Discesserat quin etiam ab urbe unius levicæ itinere Pater, suâ opinione valentiorum postea revisurus: quando redux ad supremum agonem adolescentis accitur. Intellexit tamen ex adstantibus, rogatos fuisse

sæpius ab illo, qui Patrem advocarent: timore ingenti se correptum affirmasse, clamasse, Patris sui auxilium sibi ne denegarent: interea crebrò thecam reliquiarum sublatam manibus, nunc ori nunc oculis, nunc pectori admovisse, sæpius sanctissimum DEI nomen invocasse, & tandem, ut superveniens agoni inspexerat ipse, placidissimo fine quievisse. Non dubium quin hæc morientis anxietas, inque DEUM & res sacras fiducia indicium fuerit obtentæ salutis; cui impediendæ hostis animarum solicite incumbens, adusque supremam luctam invigilaverat. Credi potest, quod qui olim istis terriculamentis edoctus fuit ad Ecclesiam confugere; nunc quoque similibus terroribus obfistere, consuetis pietatis artibus, atque in DEum, resque divinas affectu solito voluisse.

Obtulit Pater tapetem auro textum corpusculo involuendo; sed eo opus non fuit, cum Tartari satis inhumanè pueros igne in cinerem redactos, nec sepulturâ quidem dignentur. Quare cum neutquam sepeliendum permetterent; satis fuit funus comitari, & aspicere rogo impositum, ac more gentis teneriore dignum affectu deplorasse. More Christiano tamen quia jam discretionis annos eximiâ ingenij perspicacitate superaverat adolescens; ne huic ætati facile quid fallente judicio contra-

R.

etum

Etum labis iter ad cœlum impediret, aliquot pro eo Missæ sacrificia DEO oblata sunt. Post aliquot dies nocte intempestâ cùm vix obdormisset Pater, audire sibi visus est vocem olim notam, quæ Pater, Pater, iteratò clamabat. Experrectus & suo adolescentem nomine compellans: addidit quomodo te habes? Videre visus est illico Joannem cum tribus socijs ledo adstare, & cubiculum copiosâ luce illustrare. Potuit visus hallucinari, non tamen auditus. Distinctissimis quippe verbis recedentis à conciliavi vox percepta est. Pater meus, inquiebat, & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me; Neque aliter quondam evenerat: Mater quippe nutrici transcriperat infantem: Pater autem omnino abjecerat, tum quod extra Palatium famulis educandum permiserat, tum quod paternum affectum mutatione paternorum rituum ac superstitionis abstulisset. Certè cùm in hac suprema filij ægritudine aliò profecturus rogaretur, ut priùs filiolum inviseret, & levamen afflito adferret, non fecit. Quod licet adolescenti non leve pondus tristitiae imponeret; tamen illud generositate animi semper texit, nec verbulo unquam de parente conquestus. Alias pari eventu vocari iterum se sentiens P. Adamus somnum excutit, atque Joannem adstare videt in veste attalica, cum plurimis ejusdem ferè ætatis

&

& gloriæ Socijs. Claritate porro oculos perstringente tantum licuit audire: Pater, & quid adhuc mærore affligeris? Fuerint hæc seu sanctæ dilectionis somnia, seu speratæ, ac quantum licuit, creditæ felicitatis non vanæ cogitationes, sæpius animo pro vitæ, quam adolescentulus exegerat, conditione recurrentes. Certè spectata P. Adami virtus, & laureata tot apud DEUM meritis canities, cuilibet facile persuaserit, mera hæc non fuisse figmenta; sed pro causæ æquitate saltem omina, si non apertas veritates. Dispari exitu Joannem subsecuti sunt alij è domesticis. Una ex nutribus, quæ medicum evocaverat superstitione Gentilium, & Idoli veneratione potius quam arte, quam penitus ignorabat, ægritudinem ab adolescenti depulsum, quíq; per suam ignorantiam & imposturas vires illius planè dejecerat, à sanioribus postea medicis non ultrâ reparandas: Ubi ad mortem ille approxinquare cœpit, ipsa repente toto corpore dolere, & domum delata sensum amittere, atque etiam præcedere ex vita compulsa est; non eò tamen, quo ipse festinabat, ipsòmet diversum iter nutricis biduò ante morte enarrant. Præfectus aulæ Paternæ, qui avertere Joannem ab Ecclesia, & minùs reverenter habere consueverat, non multò post Dominū suum ad venationē

R. 2

pro-

260 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

prosecutus, ubi cervum sagittis impedit, & præproperè eques insequitur, objectum arboreis stipitem non advertens, in hunc impegit, & una cum equo corruens confacto crure ulla sum ejus amittit; idque eodem die, quo parvulus propè jam migrabat è vita.

Collegit ex busto innocentis corpusculi Pater per famulos domesticos, atque ipse, quotquot potuit officula, eaque arcuæ testeæ candidissimæ inclusa, inque novo templo, cui operi ipse assiduus interfuerat, & in quo ad eximiam pietatem non ut tyro; sed tanquam veteranus honoris Divini commilito se exercuerat, eo ipso loco, ubi genu flectere, & Missæ sacrificio frequentius adesse erat solitus pie in adventum Domini servanda condidit.

C A P U T X X.

De alijs Christianarum virtutum exemplis.

Habuit imitatores hæc, de qua egimus, rara indoles adolescentis, eadem cū illo stirpe Regiâ illustres non paucos, virtute conspicuos, qui licet omnino assecuti necdum essent eandem animi felicitatem, tamen amantes se Divinæ legis, & filios Europææ pietatis gaudenter profitebantur. Majoris industria fuit

fuit adultos, ac potissimum Tartaros conciliare. Præterquam enim, quod obstacula illis cum Sinensibus communia sint; multa quoque secum attulerunt propria gentis, quæ non vacabat subito oppugnare: sed expediebat sensim tantummodo removere. Inter Occidentales Tartaros spes major messis; si ager ille seminaretur. Majorem quippe pietatem præferunt etiam minus elati, & animo sunt candiore.

Non nemo ex Regulis templum ingressus, inquirebat de sacrarum imaginum origine; & aliquantulum edocetus, cum præterea de Diva Virgine, Puerum JESUM ulnis gestante, percutaretur, quidam de adstantibus majoris ordinis Nobilibus Tartarus occidentalis, & Sinici idiomatis perquam gnarus Catechistæ munus suscepit, ac Regulo Christum natum ex Virgine, pro hominibus passum, verè mortuum postea resurrexisse, & ad cælos ascendisse omnia sine errore annunciavit, admiratus Tartari eruditionem in re adeò isthic gentium peregrinâ: quærit ex illo, unde hæc dicisset? cum ille, se apud Wolgam fluvium natum, hæc ibi sæpius audisse testatus est; non dubiâ sequelâ fidem Verbi ibi locorum per auditum unâ propagatam fuisse. Et verò memoriæ proditum est, Patrem de Societate natiōne Ungarum à Turcis captum, per eos ad Tar-

R. 3

taros

taros hosce venundatum pervenisse ; Retulit ille postea per literas Romanas perscriptas : hoc exilio se in patriam ejectum esse : Reperisse se ibidem homines , eodem quo Hungari utentes idiomate, planèque eos, à quibus Hungari quondam processisse videantur : proinde pro pretio redemptionis non lytrum , sed socios postulare , qui avitam gentem patriâ religione unâ fecum imbuant. Inde compendio ad Chinenses penetrari posse ; sumptibus & periculis, atque immani circumnavigatione imposterum declinandis: cæterum nō admodum peregrinis moribus, soli semiustulatae ac crudiusculæ carni stomachum aptare oportere ; hanc cum laeticiis ferè sine pretio in Tartarorum tentorijs obviam esse.

Hujusce itaque gentis præclarus juvenis , ab Imperatore officio militari , & dignitate ornatus , unâ cum parentibus non longè à templo morabatur, non ita pridem à Tartari cuiusdam servo, sed Christiano, persuasus, ut nomen Christo daret; Habebat novercam admodum fibi iniquam, & Idolis, quorum seriem domi recensebat , perditè deditam : Videbatur fervor conversionis temperandus , donec explorato novercæ animo, fidem sine periculo molestiæ, aut revocationis fusciperet : nescire tamen tarda molimina voluit S. Spiritus gratia recepta in

pe-

pectore. Instantissimè Catechismum & orationes addidicit, instructus & baptizatus est; Tū enim verò Noverca furere, & minis terrere, ac diras omnes sollicitare adversus innocentem, at ille: officium equidem, inquit, quo fungor, & gratiam aulæ mihi auferetis, Christum verò minimè eripietis. Deinde quamvis vestes illi & cibus à Parentibus subtraherentur, aliisque artibus atque etiam verberibus ad defectionem impelleretur, oleum, & operam eos, qui adversabantur, fecit perdere: Imò tandem constantiâ suâ evicit, ut odia & furores paterni acquieverint, novercales quin etiam diræ reseedent. Quare juvenis identidem ad servum illum libertatis suæ authorem divertens, ibi una cum Neophytis manè & vespere statutas preces persolvebat, nec desistebat frequenter templum invisere: Missis & concionibus adesse, ac vitæ Christianæ specimina edere non vulgaria: Illud tamen anxiū pectus lancinabat; quòd Domi suæ per Novercæ furias non liceret sibi suæ devotioni ac precibus vacare, usque adeò etiam, nec iconem sacram palam exponere suâ veneratione, aut hospitum ad meliora incitamento colendam. Excidit eidem hæc apud Patrem Joannem Adamum conquerenti præsaga vox, quâ diceret Pater: faxit DEUS, ut qui Christum domi aspicere

non vult, æmulum ejus hostem ne habeat. Præter votum res accidit. Humani enim generis hostis domesticos ab eo die cæpit visibiliter irritare, ac potissimum fratrem hujusce Neophyti majorem natu. Iste non Novercæ, sed fratris exemplum imitatus remedium ab Ecclesia quæsivit, atque accepto agno cereo, quo se contra lupum tueretur, fratrem in suscipiendo Baptismate secutus est; Noverca, quæ ingenium non ponebat, ab infestatione genij maligni nunquam libera cæpit tandem pessimè valere; nec diu post è vita migravit, ac mortua cessit viventi, quæ vivens mortuo antea in Idolis obsequebatur.

Valuerat quoque nuper Baptismi efficacia in Tartaricum illum servum, qui sanctæ juvenis æmulationi ansam præbuerat. Nam cùm ferocissimi olim esset ingenij, atque adeò rixosus; ut nemo hominem ferre posset; quamprimum Christianis sacris initiatus est, naturâ ferinâ depositâ, adeò mitis & facilis ad omnes evasit, ut hac sola de causa in admirationem raptos complures ad Christum adduceret.

Penetraverat fama Templi recens Deo consecrati, Regiones finitimas. Evocati dierum aliquot itinere tres viri, unus istorum Catechismo percepto Christo nomen dedit: Socij, vel quod mens

mens tepidior, vel quod perplexitate nondum discussâ horrerent præcipitare sententiam, se iterum reddituros promiserunt, & audituros denuò de hoc iterum DEI præcones. Disparem animum secuta est fortuna dispar. Non multum ab urbe progressi obvios habuere latrones, qui ambos illos dimisso Neophyto exspoliârunt; Hic namque visis latronibus lævâ Agnum DEI cereum apprehendit, & dexterâ se cruce signavit, ac tum non equidem invisibilis, sed ab intuentibus & conniventibus præteritus est; nec immemor postea beneficij, amore ejus, qui saluti fuerat, Christi, socios ambos, gratis viaticum præbens, domum reduxit.

Erat Regulus Patri Adamo perfamiliaris, qui de Agno DEI cereo multa inaudierat. Quare ad bellum profecturus petiit sibi aliquem donari, quo tanquam sacro amuleto contra hostium tela muniretur. Obtinuit; nec fefellit opinio. Nam cum in conflictu cum hostibus tres pectora sagittas excepisset, lethale vulnus dubio procul illaturas, omnes perforatâ loricâ & veste in interula sine noxa hæserunt. Agnovit vir bello assuetus præsentis DEI singulare auxilium: quare domum reverfus, non solum amicis protectionem Numinis enarravit; sed fautorem se legis professus est, atque ut istud universis constaret,

R. S

in

in Palatij , quod tum construebat, trabium capitibus sive scutulis Sanctissima Nomina J E S U & M A R I A E , cùm signo crucis incidi & deaurari curavit. Hic, si morbillorum genere , qui Tartaros, domi ignoti, in Chinis iamaniter vexant, sublatum doluisse non multò pòst oportuisset, spem fecerat subsidii pro rebus Christianis eximi.

Peregrini duo, Christianus unus, paganus alter , simul ad hospitium diverterant pro coquenda oriza , Lignis deficientibus , è propinquo, præ vetustate collapsum fanum Idolorum, scandulas aliquot in ligna pro coquina ministrait. Posterâ die illucescente gentilis prior hospitio excedens, non expectato socio viam abibat. Vix passibus aliquot progressus, sensit per occipitum se comprehendendi , & nemine, cōspecto plagis inflictis onerari. Exclamat querulus, ac quærens, quis hostis lacepsat? audītque vocem , Patronum delubri ante noctem despoliati expostulare , quòd ligna abstulisset , instaréque, ut promitteret, se pretium redditurum, & ad fanum instaurandum operam & opem collaturum : Reposuit iste ; non sibi uni furtum imputandum ; pœnam communem esse oportere duorum, quorum & culpa contulisset ad facin' : socium vocaret in communionem tributi , qui fuerat & furti. Respondit dæmon Christianum illum.

illum esse, nec audere se virum ea propter irri-
tare. Intelligens miser, cui tyranno tanta-
cum sui disgratia & incommodo serviret, è loco
se proripuit, atque ad hospitium regressus, de-
fide à socio instrui voluit, & Christianum se fo-
re pollicitus est, quòd solum hoc nomen tantam
inferret potentissimis Spiritibus violentiam, &
horum jurisdictionem adeò accideret.

Habebat Ethnicus filiolum annorum duode-
cim: Hunc dæmon domesticus die quodam o-
culis parentum eripuit & abscondit, Parentes
plurimūm solliciti, cùm non restitueretur puer,
ad magicas artes confugiunt, characteres & no-
tas profanas in domo affigunt. Venefica
insuper, quæ superstitioni præsidebat, ne ludi-
brio artis deesset, noctem ibidem transfigere sta-
tuit. Verùm huic amicus dæmon, digno e-
quidem tanti ministerii obsequio, ejus faciem
abunde lotii illuvie perfundens, & probrosam
anum deridens, illusit, atque ipsa non expecta-
to die, & insalutato hospite, se contumeliæ,
quam providere poterat, ulteriori, cauta sub-
traxit. Admonetur interim paterfamilias
non longè inde Christianum commorari, ut vel
ejus, vel per istum Ecclesiæ opeim imploret, ad
amissi pueri incolumentem futuram. Arripuit
consilium parens, & suppetias invocaturus
ibat,

ibat, cùm dæmon occurrit, & jocum fuisse quod egerat asseverans, acriùs exprobavit, quòd tam citò Domini alterius potentiam æmulam in sua damna imploratum iret, simul è vestigio puerum restituit. Efficax nihilominus in dæmonem divina virtus, non expugnabit improvidum peccatus parentum: perrexerunt servilem more omnium servire servitatem. Nec tamen fructu omnino caruit felix eventus. Vicinus quippe aurifaber hisce consideratis cum uxore conversus est, Deo per aliena vitia, & stultitiam suæ sapientiæ ac gloriæ, nihilominus consulente.

Parvulus cuiusdam nullâ causâ flere cæperat acerrimè, & totâ nocte sine remedio continuabat lachrymas: Postero die Neophytus quidam evocatus, eum aquâ lustrali aspersit, qui continuò acquievit: Verùm abeunte Neophyto, cùm denuo fleret: ille revocatus eodem remedio usus est; cui cùm res ex voto successisset; suasit parentibus Christi legem amplecti, illisque promittentibus, nec singultus ultra à puero auditus est.

In Reguli superstitionis ædibus, aquâ putei in ampio vase fictili asservabant more Pekinensi. Contigit hoc se ipso dissilire, & aquam effundi. Mutato vase iterum atque tertio idem

idem accidit. Advertens Regulus malignum spiritum domui suæ illudere, primum Sanctissimum JESU nomen vasi appendit; ac neque tum satis proficiens, consilio P. Adami, aquæ lustralis nonnihil communi aquæ intra vas affudit, cùm ex eo tempore non ausus dæmon infestare.

Mulier ex adulterio Tartari conceperat. Ubi tempus pariendi adfuit, dissolutis viribus non poterat eniti. Accurrit servus Tartari, homo rudis quidem, sed fide in Deum plenus; hic flexis genibus pro laborante supplex, atq; sine difficultate monstrum, quo præpostera libidinem Deus puniverat, effudit. Infelix puerpera culpam præteritam agnoscens, & infenso DEO se nolle vivere professa, quamprimum convaluit, ad fontem aquæ vivæ admitti postulavit. Non multò pòst, cùm nollet hero suo, quocum nuper peccaverat, in malum iteratò consentire; iratior ille Tartaris Occidentalibus eam vendere statuit. Mulier illico ad Ecclesiam advolat, Missæ sacrificium pro se fieri petit, atque quod reformidabat, evitat. Nam filius familias, adulteri Patris fævitiei, ancillam aliam pro ista permutandam, & vendendam substituit; Simul hæc uno ausu triplicem Cerberum elisit, morbum, & metum, & peccandi occasionem imposterum ab importuno hoste secura.

Ca

Catechumena cujusdam de eminentiore magistratu, partu laborabat. Accitur P. Adamus, ut periclitanti, quam implorabat opem, animæ & corpori pro viribus admoveret. Baptismo primū expiata: tum reliquæ ex sacris cineribus S. P. Ignatij collo mulieris appensæ sunt. Protinus magnis clamoribus, & portentosis gestibus dolorem, ac deinceps partum edidit. Hujus generis auxilium puerperæ, non Christianæ solùm frequentiùs, sed Ethnicæ quoque, momento, quo S. Patriarchæ Reliquias contigerunt, expertæ sunt. Rarissimis earum voto fraudatis; nisi aliter fortè suo ipsorum vitio, dum sacra profanis conjungunt, gratiam interceperint.

Eo ipso anno, quo Tartari Chinas occuparunt, aulici cujusdam uxori à dæmone seducta, & consuetudini portentosissimæ longiùs assueta, vicissim amatoris deterrimi intemperiem experiebatur, miserrimè indies vexata ac diris cruciatibus exercita. Pro medelâ Agnum DEI ejus collo placuit injicere: obstabat illa amuletum aversata, vultu & toto corpore repugnante. Verbis ac minis compulsa, tandem collo injectum, & firmiter alligatum præsidium, adversus immanem hospitem sustinuit. Preces deinceps pro infelici Pater Adamus indixit, atque ipse exorsus est. Alterâ die pacatior redditæ, nondum tamen

im-

immunis à solicitatore importuno. Ajebat enim dæmonem etiamnum cubiculum ingredi; quamvis progredi & proprius ad munitam sacro ceromate appropinquare non posset; hortari tamen, ut sibi collo detraictum amuletum abjic peace. Additæ postea Agno cereo reliquiæ S. Ignatij, quas jam ultro, & gratanter suscep tas, fæmina collo appendit. Exinde dæmon extra portam cubiculi & per fenestras perstrepere, ac conqueri: demum cùm nihil proficeret, minis terrere. Verùm illa jam ludibria & infamem adulterum exosa, & vim armorum, quibus defendebatur agnoscens, renunciare omnino fœdo fœderi decrevit, ac Baptismum petiit, quo cum omni solennitate, eo quòd ex Tartaris prima esset, perfecto, & Afræ nomine nuncupata, etiam ab infami vitio penitus sanata, frequenter exinde templum invisit.

Quidam censuum Magister domi suæ ægrotabat, quò cùm per urbanitatem non licere sibi crederet accersere P. Adamum, per cognatos & affines visitari hunc fecit, unà innuens vicem visitationis se optare. Deductus Pater ad ægrum intelligit ex ipso met, à Dæmone, visibili vulpeculæ formâ, illum divexari, adeoque nec indormire, nec in lecto acquiescere posse. Suasit aquam lustralē Pater,

SS.

SS. Nominibus J E S U & M A R I A E , sæpius invocatis. Adhuc tamen strepitus ex vicinis cubiculis insonabat; Addidit cereum benedictum, qui quanto tempore ardebat , nihil ab insidiatore passus quiete potiebatur. Cùm cereus nollet esse perpetuus , imaginem S. Patriarchæ Ignatij in pariete suspendere placuit ; monitusque æger , ut ad illam quotidie genu flecteret , & S. Patronum veneraretur. Non arrisit hospiti pessimo hic contubernalis : itaque præsentte iconè secessit , & liberum fecit ægrum à vexatione. Rediit tamen postliminio , ubi consecutus homo valetudinem , ac quietem , repolcenti pia arma Patri restituit. Verùm non tam istorum absentia revocaverat hostem , quā perdit hominis vita resumpta , quā omnino fugitum denuo invitaverat. Compertum fuit mali utriusque fontem inde fluxisse , quod nocentiorem aliam vulpeculam domi suæ in extium animæ aleret ; nempe pellicem quingen-tis aureis emptam ; quam dum Pater hominem inviseret , aliò secedere jubebat ; ad cuius illicitos amores nunquam innoxios postea fuit reversus : immemor jam prius admonitoris flagelli , ac salutis unà amittendæ ; cui vitio manipulos non istum duntaxat , verùm alios complures cœcè teneri hîc , si uspiam gentium ploratu dignum est.

Alius è supremo Senatu non absimile à dæmone,

mone, quamvis non ex eadem causa, patiebatur. Jacebat elanguens & pallidus, eò quod singulis noctibus, & aliquando interdiu dæmon in nigræ vulpeculæ forma affiliens in faciem ei exhalaret; vigilanti nonnunquam, at dormienti ut plurimum. Adhibita malo S. Ignati effigies cum ejusdem reliquijs à pariete ante afflictum dependens, jussusque quotidie DEO, ac Sancto fieri supplex. Monito obsecutus, statim tenebrione expulso convalescere cœpit. Quis non illico existimaret hominem intellectu excultum, literarum studijs deditum, tam insigni favore cælitus donatum, aut omnino Christo nomen daturum, aut saltem rem Christianā pro viribus in tesseram grati animi promoturum? Planè secus decrevit, ubi plenè convaluit. Contentus cum Caino facinorosorum mortalium, atque DEO ingratissimorum primo, poma paucia duntaxat & fructus mittere, deditus gratias reddere unas ternis, Salutis nempe Autori, Patrono, & consultori. Deplorandum summè in hac terrarum vastitate & hominum affluentia adeò raros nantes esse, qui beneficijs cœlestibus pro dignitate respondeant, itaque aptos se reddant ulterioribus consequendis: In multa quin etiam patientia omnem in locum rete expandi, ne quod ajunt diverbio, per incuriam prætereatur, qui, quo minimè credis, gurgite piscis erit; elabi tamen,

S

aut,

274 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*
aut subtrahi per naturæ corruptelas tam im-
manem multitudinem, reliquo equidem sed sa-
cræ animarum fami pauculorum peregrino
solatio.

Erat è stirpe Regia vir illustris. Hic habe-
bat filiam nupti traditam, cuius conjux ad bel-
lum profectus in tertium jam annum aberat;
Fœmina viri desiderium non ferens, simul
mærore confecta, tandem hospitium diabolo
paravit; qui mentem & corpus miserandæ ob-
sidens, paucis diebus illam macie & inedia
propè confecit. Evocatus ad desperatam Pater
inter domesticos & cognatos sedentem, specie
quidem humanâ, sed ut mente capta videri pos-
set, reperit. Interea pateram cum potu CHâ si-
bi propinatam cruce signat, & mulieri biben-
dam exhibit. Acceptam illa ad fundum ebbit.
Pomum, quin etiam cortice nudatum, & insi-
gnitum inscripto Sanctissimo Nomine IESU ob-
latum, ad unguem absumpsit, cum admirati-
one omnium, qui adstabant, noverantque jam
quintum diem nihil omnino degustasse: Tum
thecam reliquiarum, cui non nihil de cine-
ribus S. P. Ignatij inerat, collo ejus appen-
dam dedit Pater, & conspectâ ejus mode-
stiâ, probatâque ad exequendum quæ de-
mandabantur, promptitudine, jussit, ut si
nequam spiritus rediret, liberè increpitudine
ad se remitteret. Huic quoque monito actu-
tum

tum paruit. Nam sub secundam ferè noctis vigiliam nescio quis ostium , quo decumbebat Pater , ter tantâ vehementiâ pulsavit, ut cubiculum tremere , & ostium ex cardinibus exsiliare videretur. Expergefacto quantocyūs , non tam citò occurrit menti præceptum pridie mulieri impositum. Nihil itaque ab ostium impellente quæsivit , aut respondit. Tum ecce alterâ vice bis impellitur ostium eodem furore ac fragore , quo priùs. Intellexit Pater ipsum omnino esse , qui missione alibi imperatâ huc advenisset : neutro jam loco recipiendum in malam crucem abire jussit. Postero manè frater mulieris adfuit gratias acturus, retulitque eâdem horâ , quâ se evigilasse meminerat Pater, importunum hospitem fuisse à domo amandatum , nec postea rediisse.

Adolescens illustris viri filius Catechumen⁹ , petebat cubiculum in ædibus Patrum, quo mensibus aliquot quietus degeret. Facilè impetravit. Assignatum est promptissimè conclave, atque ibidē more Christiano adaptatum oratoriū , ubi manè & vespere commodiùs se DEO commendaret. Accidit ut parato suffitu alijs occupatus , ad ignem non attenderet ; qui à suffimento ad ornatum sacræ imaginis serpens , jam omnia , atque etiam imaginis marginem devorârat ; ipsâ tamen imagine illæsa , ut

276 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

ne quidem fumi umbra repræsentaretur. Prodigium fuisse agnovit adolescens, & deprædicarunt ejus familiæ confortes: attamen non inhæsit cognitioni pia voluntas. Incurrerunt supplicium suâ culpâ perditorum, ut videntes non videant.

Felicius alter Nobilis Tartari filius, à sacro fonte Julinus nuncupatus. Ubi Christum Dominum prior induisset, omnes familiæ suæ socios (erant quatuordecim) ad eundem perduxit: qui omnes non multò post, herum ad bellum comitaturi, priùs uno cultu corporis, unōque mentis affectu ad Ecclesiam convenerunt, & purgatis per sacramentum confessionis animis, petito sacri cerei Agni amuleto, se ad iter præparârunt, insigni cum intuentium commendatione, & Patris Adami gaudio.

Tartarorum quædam eo primū argumen-
to ad fidem Christi suscipiendum impulsa est,
quod notaverit P. Adamum, die omnium fide-
lium commemorationi sacro, ad sepulchra-
Christianorum, ne quidquam prohibente ejus
fortè diei tempestate aëris, sacrificio ibi pera-
gendo, excurrisse. Quidni enim secum aje-
bat, eam legem optimam esse credam, cuius
asseclæ se invicem in omnem ætatem diligunt?
nec obstante quovis impedimento quotannis,
ac sæpius se revisunt, sacrificijs identidem ac
precibus consolantes? Baptismi compos effe-
cta vivere tum ægra vitam desit Christiana.

Anno supra millesimum sexcentesimum quinquagesimo septimo mulieres binæ instabant, ut ad Baptismum admitterentur. Visum fuit experiri constantiam priùs, quā salutis lavacro initiarentur: præsertim quòd florentioris ætatis ac formæ, item elocatæ essent Tar-taro; qui facturus esset supra gentis expeñationem, si captivis non abuteretur. Ubi tamen constitit legitimo thoro junctas esse, & à periculo utramque vacare, voto suo potitæ sunt, atq; altera Secundæ nomine est appellata. Erupit interea sub cinere delitescens ignis. Herus tentare pudicitiam Secundæ cæpit. Obstabat sceleri fortior illa, nunc per fenestras defiliens, nunc seminuda dimissis vestibus profugiens; nec immunis inter ungues prædonis à plagis, quas propè quotidie vel ab hero persequente, vel à marito suspicante perferebat. Artem tandem à Sophia edocta est, quā adulterum deinceps repulit, & marito suspicionem ademit. Cùm proximè cubitum concessisset, utramque manum catini fragmentis, quæ non minùs ac vitrum (vitreā enim materiā porcellanæ Chinenses constant) in morem cultelli lædunt, armavit. Adulter somno teneri æstimans dissimulantem aggreditur; at mox sentit nudum corpus sex, septémve vulneribus proscindi, ac dolore stimulante exiliens, spatiū dedit Secundæ, proripiendi sese. Illa domo e-

lapsa summo manè Aulæ Magistratum (cui
herus subest) adiit, hominémque improbum
accusavit, & quia adulterij crimen apud Tar-
taros quoq; admodum odiosum, ad tribunal
criminis deferre jussa est facinus, pro meritis
pænam luiturum. Eò vocatus ille, cùm cica-
trices sceleris attentati testimonium darent,
primùm probris dehonestatus, tum plagis; &
pecuniariâ pænâ, mulctatus didicit, vel invi-
tus posthac sapere. Illud præterea in Secun-
da laudaverunt Judices, atque insigni enco-
mio addito evulgârunt, quod quamvis ipsa
flos viginti sex annos nata esset, & conjugem
haberet annosum, nempe quinquagenarium;
adulteri porro viginti tres tantummodo annos
numeraret, cœcitati humanæ, nisi Divinâ
virtute fulciretur, fucum facturus: maluerit
tamen thori fidem servare seni, quām se juveni
prostituere, nihil tot mensium illecebris, mi-
nus verborum ac probrorum multiplici serie
commota, fidei DEO datæ, ac marito, nus-
quam oblita. Judicibus accessit conjux sed
meliori sententiâ. Nam hactenus ad saniora
pervicax, tandem Christo manus dedit, & au-
tarium fuit præmij, quod virtuti debebatur
tam castæ uxoris; quo ipso DEUS Sophiam
nuper, marito ad Catechumenos ejus cohor-
tationibus persuaso, & aggregato beaverat.

Pau-

Pauca hæc servata memoria optimi senis P. Joannis Adami Schall, atque in Europam prescripta, in illa humanarum rerum vicissitudine & juxta operiorum defectu, ac laborum messe, non sola sunt quæ narrari possent, licet sola sint, quæ comperta nobis sunt. Præterquam quòd quotidianum miraculum sit, horum præstari quidquam (ne tam exaggerata dicamus) in illa nationum modò confusarum coluvie; quæ nisi literæ annuæ plura promitterent, sola sufficerent. Revelationibus & prodigijs cælestibus affinia eo sensu narrantur, quo ab hominibus accepta sunt, & hominum iudicio comprobata. Multa haud dubiè DEUS sine nobis, & nobiscum in nobis operatur, quia tamen publicæ authoritatis fidem arrogare non est privatorum; historiam rerum gestarum, ut humanitus repræsentata est; non ut cælitus accepta, retulimus.

CAPUT XXI.

*Ultimus pro instaurata Astronomia conflictus,
& ex illo victoria Europæi calculi.*

Triginta annis vario marte probata fuit Europæorum methodus, adversus Chinensium in conficiendis Ephemeridibus, & com-

S. 4

pi-

pilandis temporum momentis , rationes. Ma-
hometani toto præcedentis Imperij tempore
classem suam in eo tribunali habuerant, eo fine,
ut quæ Chinensi regulæ deerant, ipsorum quo-
quo modo suppleret industria. Eo igitur tem-
pore , quo Astronomis Europæis , cum Chi-
nensibus bellum erat , tametsi Mahometani es-
sent infensissimi hostes, nullo tamen certamine
Europæos laceffiverunt ; existimantes se duos
inter litigantes tutò latére posse cum fiducia
victoriæ. Nec tamen interea malo suo adver-
terunt, quòd si methodus Europæorum publici
juris fieret , unà ipsorum , ut alia quælibet mi-
nùs certa exolesceret. Ubi Europæa doctrina
culmen tenuit , tum primùm rerum suarum sa-
tagere & ipsi connisi sunt. Contigit unum ex
ipsorum numero , qui alijs paulo amplius in ar-
te profecerat , petitâ , sed non impetratâ licen-
tiâ , quam concedere ad Tribunal rituum perti-
nebat , longiùs ad australes scilicet provincias,
privata ex causa discedere. Eo profecto tri-
bunal se despectum , ut verè res erat, reputans,
libello de hoc Regem admonuit , & transgres-
forem dignitate dejici fecit. Hic post biennium
revertens , & se munere dejectum non ferens ,
cùm putaret Patrem Adamum autorem fuisse ,
passione cœcus de innocentie vindictam sumere
statuit : Collatò itaque Calendario anni mille-
simi sexcentesimi quinquagesimi septimi cum
suo ,

sto, cùm songè dissidere utraque adverteret, imperitus excerpta, quæ suo non concordabant, bis dato libello apud Regem calumniari cœpit. Inter alia hæc subnotabat, quæ legerat. Eclipses nimirum solis eo anno binas fore: Mercurium item mense octavo, ortu heliaco vespertino non apparitum. Viderat constellationes capitis cum balteo Orionis transpositas, & tandem astrologica quædam principia, doctrinam genethliacam concorrentia ex Calendario sublata. Hæc tam aptè & ad captum vulgi accommodata, caput etiam pœnæ devovens si erraret, vel si Regi, maximè de Mercurio imponeret, proposuit; ut à Chinensibus, quibus ea, quæ genethliacam attinent, partim juxta rei veritatem necessario, partim quoque studio erecta fuerant, applausum; apud Tartaros verò dubiam fidem Calendario Europæo fecerint. Quid ageret Pater, nisi ut, cùm adversarius ad cœli motus & phænomena appellâisset; etiam præscripta revolutionum fiduciarum tempora præstolaretur? Multos ille interim sparsit rumores de Patre, quòd gratiâ Imperatoris exciderit: quòd ab eo increpitus, & carceri mancipatus deliteat, de Calendario autem, quòd toto cœlo exerret, quòd fallat; & alia quævis pro libitu & per se. Etarios, qui Pequini magno numero comorabantur. Poterat tribunal rituū, quod veritate toties

S 5

de

demeruerat Pater, præfocare insaniam: nisi
 æmulatio propinquorum Magistratum suppressionem alterius cupidius ambivisset. Cecdisset ille causâ sub proximam Eclipsin quæ à dato libello semestri contigerat; sed tribunal rituum sententiam ad Octobrem rejecit; quo Mercurius litem dirimeret ortu suo, vel occa-
 su. Ita ad fabularum leges vel ex fraudum architecto docendi integritatem doctrinæ Europææ, in quam eminus intueri prælivore, atque nuper in solem non poterant.

Imperator interea, ne aliter favore obrutus diceretur, prudenter rem totam cœlo, ac Patri concredidit. Quinque eo temporis intervallo familiariter cum isto collocutus, nihil hac de re movit; nec cum ipso Pater. Hoc Patris silentium postea demiratus Rex fiduciam defuisse putabat, quâ candidè tam benevolo, quâ in provido Principi causam communicaret. Tum Pater; Nolui Domine, inquit, mihi inceps improperare quemquam, Majestatis vestræ me favore liberatum, cùm ego in hac re mihi ipse sufficiam: Hoc unum rogo; ut quoniam in tribunali rituum Sinenses, homini illi, plūs æquo favent, qui à vestra Maje- state petierunt, ne omnium tribunalium Pra- fides, sed solum indigenæ jubeantur defi- nito tempore, ac die in specula mathemati-

ca

ea adesse ; ut unum atque alterum ex Magnatibus Tartaris , quibus fudit , velit simul eō accedere , & præterea , ut aliquos ex quocunque tribunalī præcipiat stellas illas , apud quas pro illo tempore Mercurius inveniendus dicitur , cognoscere ; quoniam certò mihi persuadeo , quod si Mercurius non apparuerit , æmulum , quamlibet aliam pro illo monstraturum , neimpe ut felēm pro lepore vendat ; ita enim verò singulos , qui invitati sunt , seriem veri discusuros , atque in sententiam liquidiūs ituros . Consensit promptissimè Rex , & duos quidem Proceres motu proprio inconsulto tribunalī rituum , ut semper assisterent ; alias verò tres , inter quos alter Tartarus à supremo Colaorum tribunalī , adjuncto quarto ex tribunalī rituum , ut quotidie domum PP. accederent , ibique noctu stellas specularentur , delegavit . Hi , quandoquidem adhuc erant florescentis ætatis & ingenij , ob idque in maximis dignitatibus constituti , non solum illius loci , sed totius hemispherij stellas intra paucos dies memoriae mandarunt . Ut dies vigesima quarta lunæ , quâ ille Mercurium ex radijs solaribus emergurum prædixerat , adfuit ; Omnibus ad speculam confluentibus non solum Præfidibus , & reliquis è magistratu , sed plurimis alijs simul curiositate adductis , adeò repletus

est

est locus, alioquin spatiösus, ut homines propè non caperet. Æmulus illâ multitudine latus, serenissimo cælo, triumphum ante victorianum canere incipiens, & ab hoc instrumento ad aliud, artis suæ ostentator, transiliens omnium in se ora convertit. Nihil aliud in votis habebat, quām ut Europæum Astronomum ad contentionem aliquam suborientis iracundiæ provocaret. Si cæterà aberrandum esset à prædictionis astronomicæ veritate; Sanè fuisset istud phænomenis cœlestibus importunum magis spectaculum, adeoque errore ipso cuiuscunque calculi amplius erroneum. Quapropter totius animi compos secessit ad partem Pater; & quamvis à multis invitatus, ut accederet, solus elegit sedere seorsim de eventu rei securissimus, quām in fluctu hominum & opinionum, vel dubio eventuum, vel æstui disputationum vela pandere. Optimates, qui priùs à Patre stellas dignoscere didicerant, interrogârunt; ecquis obserandi modus? quandoquidem Æmulus omnia instrumenta versus locum ubi Mercurium crediderat apparitum, jam direxerat. Subjunxit Pater: oculos dirigere sufficiet. Non enim de circumstantijs loci & graduum in quibus ipse consistit, sed solum de notanda ejus præsentia visibili quæstio agitur. Oculos igitur ad occidentis plagam attollite; non aures ad verba arrigite. His dictis itum rursus in diversa,

&

& interjecta quies, donec lux crepusculorum evanesceret, imò dum minimæ tandem stellulæ toto cœlo accenderentur, quando solus Mercurius, qui desiderabatur ab æmulo, non comparuit: excusandus forte à legationum frequentiâ si in Utopia quæreretur. Adversarius per quam anxius, quoniam de apice sententiæ, & capite agebatur, oculos abstergere; simulare hebetudinem aspectus, enumerare astra & insuffragium cogere, ac tandem malitiosissimè digitum in lancem meridionalem protendens: aspiciant Domini mei, inquit, mihi enim oculi caligant, an non sit iste Mercurius, quem jam dudum oculis quæsivimus: ecce ut inter refractionum nebulas clarus appareat. Divinâ prvidentiâ factum, quòd impetrati à Rege è Senatoribus tres, aliquot antè diebus recentem astrorum notitiam, quam acceperant, ad observationem attulerint. Oculis namque nec livore nec humore suffusis, nihil de Mercurio capientes; alias autem constellationes omnes emensi, sua signis suis astra accommodantes, in audaciam fascini, quòd intendebat veterator, invecti: impudentissimè inquiunt; Non hic Mercurius sed libra est. Offundis figmenta Reipublicæ pro doctrina: aliud astra, aliud imperitia tua docet. Hæsit enim verò appensus in statera, & minus habens, pro planeta oriente occiduum existimationis suæ sidus aspexit.

Cæ-

Cæteri quin etiam Magistratum Proceres tœdio vigiliæ jam propè tertiaræ, moram inexperiatam, & noctem inassvetam designati, meritâ animadversione impostorem perstrinxerunt. Indignantibus illis ipse consternatio vasa colligit, & serò nimis adventantem Deorum nuncium diu moratus, fatetur tandem Mercurium ab itinere, nescio quò, divertisse, & pro ea die Chinensibus non oriturum, indormisse apud Antipodes: post dies autem quatuor aut quinque certius omni sidere conspicendum. Binas igitur, quas designaret, noctes postularunt, quibus iterum iretur in scenam, ut tandem scientiæ experimentum faceret: quod Regi per illum solicitato atq; avidè opperienti referrent. Elegit ille vigesimum nonum, octavi, & quintum proximi mensis, quo spatio temporis longissimè distabat à Sole Mercurius nempe gradibus viginti quinque plus minus, deberetque omnino conspici, si hæc differentia apparitionis in Zodiaco, non ut ipse ignoranter in circulo altitudinis foret computanda. Dejectum nihilominus speratâ commendatione excepterunt obviis ulnis nonnulli, ne omnino periret, eâ prorsus insolentia per quam nulla sine patrono est fabula. A Præside Collegii ritum alter, quod hominem non planè perditum vellet, consultavit fortuitò cum socio, quid li-

bello

bello ad Regem destinato de tota re actum indicari placeret? videbatur significandum appariisse quidem planetam, sed inter nebulas non satis à quolibet præterquam Astronomo peritus simo observandum. Mahometanum non se felliſſe, niſi inexpertos & imperitos. Non quibuslibet oculis fidem in aspectibus adeò delicatis haberi posse. Captum inter tenebras consilium non latuit propè nec opinanti huic consultori adstantem P. Adamum: minus latuit Tartarum, qui consultationi intervenerat: & indignissimè prostitutam sic veritatem ferens: nunquid inquit, oculos istorum omnium occidere, aut ora claudere quis vestrūm poterit, ut visa negent; non visa constanter præter veritatem affirment? Neque ipsum effugit Imperatorem præmeditata fallacia; postea enim de hoc ipso astu edocitus egregiè complicem hunc inanis doctrinæ officio dejecit, quin & opponere sui defensionem parantem inauditum præcepit castigari.

Interea Regem, dum in specula res ageretur, duo æquè suspensum tenebant, curiositas de eventu observationis; & solicitude pro Patre. Moræ impatiens alternos ire & redire equites jubebat, qui annunciasent, quid ultrò citrōq; cœli aspices decernerent. Præterea aliū cum duobus

288 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

bus Ephebis ad ædes P P . præmittit , qui Patri Adamo ab observatione rever- tenti Regio nomine suaderent : ne ani- mum desponderet ; si error ex Europæo calcu- lo subrepisset , recipere in se Regem quid- quid foret quò fefellisset : non solâ exactæ me- thodi causâ in expendendis astris à Patre tra- ditâ hunc amari abs se : multis insuper nomini- bus gratum sibi illum existere. Verum defensio intra voluntatem stetit , & consolatio auðarium benevolentiae fuit , non ara necessitatis .

Ferunt Imperatorem eodem vespere assump- ptis novem Eunuchis speculam concendisse , quam intra palatium construi fecerat , eoque tympanum transferri mandâsse , quod ipse , quamprimum aulicus , allato de non visâ Mer- curij stella nuntio , ad Regem redierat , arreptis in victoriæ tesseram bacillis , complofis prius in signum lætitiae manibus , exercuit , quasi ipse triumphum , non Pater duntaxat caneret . Æmulus interea in carcerem detrusus , ibidem ad alteram usque observationis diem servatus est , ac tunc inde eductus catenâ ferreâ collum obeunte novum in specula spectaculum fecit ; non jam tam insolens aut eloquens , ac olim ; ut qui ferreâ necessitate stringerentur ad mode- stiam . At neque tum propitio sidere adstitit Mercurius : evocari à latibulis non voluit : ite- rumque ars imperitum Astronomum & expe- statio

statio convocatos hospites fecellit. Socii impostoris, qui primâ vice magno numero honoris causâ deduxerant, dilapsi ocyûs: Ipse in carcerem retractus, ibi temeritatis suæ supplicium & judicium sententiam dies aliquot expe-ctavit, quam Sinenses exilio, Tartari poenâ capitis definiverant. Attamen in tenebris copiosior lux perduto homini affulsit. Primum Pater Mercurium pro illo se apud Regem gra-tiâ & eloquentiâ quâ valebat, futurū spoondit. Benignius postea Jovis fidus inopinatò affulsit. Nam interea ex Reginæ Matris incolumentate, quæ virus morbillorum evaserat, in communî totius Imperii lætitia, cum aliis quâm plurimis criminum reis publicâ fortunâ servatus est.

Ita argumento planè recenti veritas Europæi calculi rursus comprobata novo fulcro firmata est in animis omnium. Nec dubium est, mo-mentum illi ab ista jaëtatione prioribus illus-triis accessisse. Quo enim olim tempore instau-randis Chinensium Ephemeridibus manus ad-motæ sunt, Doctor Paulus authoritate suâ ju-dicium vulgi moderabatur, neq; erat, qui pro-batissimo viro audax refragaretur. De illo proinde Platonicum illud usurpabant præterea conticentes universi: ipse dixit: quasi ve-ro veritati rerum intrinsecæ, atque impri-mis observationum sinceritati sufficat u-num, aut plures in eo studio versari,

T

ri,

290 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

accenseri insignes. Petrus, qui suffectus fuerat, quod suffragium novæ methodo ab estimatione propria nequirit efficacius impendere, ad cælum & inspicienda astra, atque cum prognosticis conferenda provocavit; & verò frequenti observatione evicit illud, ut Regi persuaderetur artem istam non fallere. Iterum Mahometani hujus audacia crepantibus buccis personabat, incertam & inutilem esse methodum, supplendam domesticâ, aut saltem Mahometanorum: sola Regis gratiâ & favore interim subnixam persistere. At ubi Marte, non verbis transigendum fuit negotium; ab ipsis sideribus submissum testimonium sinceræ doctrinæ, atque à rituum Collegio toti Imperio probatum evulgatûmque est: Mahometanâ juxta atque indigenarum Astronomiâ Europeâ palmam concedente. Cæterum Mercurius, qui calculatori imperito suis latebris tenebras offudit; non minus Præsidi Tribunali rituum Mahometano impensè tunc faventî ominofus fuit. Anno vertente, ipso observationis olim habitæ die pœnas dedit studij in Astronomum illum: cuius sectæ plurimùm debebat, quod largitionibus maximis per eam devinctus, sibi, ac officio suo (erat simul de more mensæ Regiæ præfectus) oppidò, ac basiliè consuleret. Natus erat Regi filiolus, quem ipse, quod hunc Reginæ amor studiosissime com-

complectetur, successorem Imperij jam tum destinaverat. Attamen aliter DEO visum fuit. Vix trimestre emensus parvulus vivere desijt. Tumulando huic ingentes expensæ, & Mau- solæum Cæsare condignum assurrexit. Dies funeralibus, quin etiam hora, quâ tumulo in- ferri debet, pro more & reverentia Principum assignata, eaque septima matutina.

Expedienda Præsidi rituum incumbebant singula. Apparatum ille equidem, ac diem; non ita horam, fortè impariolor, observavit; cæremonijs ad meridiem usque dilatis. Monabant Collegij Mathematics Alumni, quibus præest Pater Adamus, septimam abijisse, atque octavam propè insequi. Ille non audiens, insuper asseclas admonet; ut composito mendacio errorem temporis Præsidi Mathematics adscribant; qui alienum à statuto de- mandasset, unâque ne quid promovendæ im- posturæ omittiteret, diploma decretorium tem- poris, ac momenti, sigillo Magistratus signa- tum, substituto alio non authentico comutat. Piaculi res erat acerbissimè luendi, edictū pu- blicū venerationemq; Regiā fraudasse. Admissi tamen criminis olim certo evulgandi altum per multos dies silentium fuit. Prævenire poterat præses, & delictum, quod inultum diu latere non poterat, ultro fateri, ac veniam depreca- ri. Hæsit pervicax in proposito totos dies

T 2

qua-

192 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*
quadraginta culpam, sicubi palam erumperet,
illico regesturus in Europæum Sacerdotem:
Jamque Pater per suam dissimulationem pote-
rat videri delicti complex. Itaque infidias li-
bello ad Regem prævenit, & seriem facinoris
enarrans implorat innocentia patrocinium.
Eodem die causa ad Judices relata, & abiudi-
cata est Præsidi; tum quod horam assignatam
neglexisset; quod simulatione apud Regem u-
sus esset; quod calumniatus Collegij Astrono-
morum Præsidem, omni exutus dignitate, in
ordinem vulgi redactus est. Complex, qui ope-
ram fraudibus accommodaverat, carceri perpe-
tuo mancipatus; Socii exilio condemnati sunt:
Nimirum ubiq; malo consilio consulteri pessi-
mo; & foveâ primùm omnium iis, qui effode-
runt periculosâ.

Submotum fuisse de via hunc præsidem, re-
bus hujuscce Missionis, ac conversioni Chinens-
ium impensè profuit. Jam pridem subof-
fensus iste studebat rectis artibus subdolè rebus
P. P. ac Neophytorum passim incommodare;
erupturus ut proximè videbatur, occasione da-
tâ tandem in apertum hostem.

Ea verò, quæ mox gesta sunt pro re Chri-
stiana, in immanem scopulum, si ipse perstis-
set, planè incurrisse. Per id tempus Regu-
lorum Cantoniensium unus, à quibus transi-
tum

tum in Chinas debent impetrare Patres Societatis, incertum qua de causa, P. Franciscum Ferrari comprehensum, & in carcerem conjectum vinculis oneraverat: non nisi pactâ triu[m] illium aureorum pecuniâ dimittendum. Simul advenerant ab Europa Socii Amacaum, Lusitanorum emporium, Chinas ingredi flagitantes. Ad hæc P. Simon de Concha nuper Romanis literis renunciatus Visitator, Regno egredi ad Præfecturam suam nullâ ratione permittebatur. Itaque nactus liberum jam Regis ab adversario sibi ha[ec]tenus plurimum metuendo latus; usitata, indultaque toties cum fiducia accessit, atque ætatem ingravescensem, & canos in obsequio Imperii multiplicatos prætendens petiit; uti Rex socios Amacai exspectantes liberè Regnum ingredi vellet: ex iis nonnullios esse, qui mathematicas artes callebant, quique possent sibi per devexam ætatem, quamvis non in officio Magistratus, saltem in munere Doctoris, ac Magistri succedere: Sufficiendos deinceps iis laboribus, quibus ipse personum exequendis jam imparem se profitetur. Persuasit q[uo]d rogabat, obtinuitque edictum Pater; quo cum Collegio rituum amicè & pacificè collato, publico senatus hujusc[on]sulto decretum est; ut non solum admitterentur, qui in promptu erant; sed & sumptibus à publico subministratis Pequinum usq[ue] deducerent.

cerentur, itinere sexcentarum & amplius Leucarum: Pater item Concha simili sumptuum obsequio deduceretur Amacaum, litteris ad Pro Reges ubiq; locorum datis, quibus admonerentur officii, & quantocyūs expediendæ Regiæ voluntati se accingerent. Omnia deniq; quæ Senatus decreverat, iteratō inspexit Rex, confirmavitque.

Quo felicissimo eventu primū stabilita Missio per Astronomicam Methodum receptam, & approbatos calculos Europæos, firmatæque exinde P. P. ac Neophytorum res in tuto, & à vexatione gentilium immunes esse cæperunt. Deinde ad publicam in fide instructionem & conversationem Chinensis Imperii adaperatum ostium ingens; in publicam Pequinensem lucem, hoc est in Regni viscera, quæ procurrere in partes omnes postea fidenti⁹ liceret, evocatis plena cum potestate Evangelii præconib⁹. Quæ singula sanè eximia uni instauratiōi Ephemeridum & Mathematicarum disciplinarū cultui in acceptis. Post DEUM referre, quando conatus cœteri fluctibus jactati perpetuis persæpe fefellerunt, quis prohibeat?

CA.

CAPUT XXII.

*Moritur Rex, & Successor desi-
gnatur.*

ATÔ vanas mortalium spes, & momentanea lucra! Prosperè satis aspirantibus è Regiâ Favoniis Religio Christiana per Imperium Chinense excursura videbatur, sociis ab Europa submissis, & licentiâ Fidei disseminanda latè impetrata. Supererat, quæ votorum erat haec tenus summa, Regis ad Religionem accessio. Non deerant indicia locupletissima animi ad Christiana sacra inclinantis: non instrucio, non hortator infatigatus P. Adamus. Verum neq; volentis, neq; currentis negotium istud esse, sed miserentis D E I probavit even-
tus. Dilata in longum proposita Regia, vel intercepit mors, vel in incerto reliquit. Ægri-
tudo corporis per menses aliquot lecto Regem affixerat; Nunciabantur non uni per Regnum tumultus, facile in mutati veteris Principatus, ac molitione recentis; quasi nondum ac-
quiescentibus per omnia ædificij partibus ex-
orti. Domestica, quamvis mærore nequa-

T 4 quam

quam laudabili, tamen improvidam, & ad corporis voluptates abjectam indignius mentem, percellebant mala. De cœlo non rara phænomena sinistri ominis partim vulgus, partim Regiarum aurium Astronomi recensebant. Utebatur hæc ipsâ occasione provocando ad frugem Regi, cuius primum intererat cœli diæstamina pandere, P. Adamus. Monebat Regem, uti has cœli linguas non surdus pertransiret: magis illarum officium esse erudire mentem, quam fortunarum momenta: docere prius Dei placita, quam fati: ad cœlestia erigere mortales; non inclinare ad terrestria. Tribus itaque, antequam moreretur mensibus, vocato ad se integerrimæ memoriæ Evnicho Coreano, vade, inquit ad MÀFA, & perficer; quod in dato heri libello prognosticum super cœli phænomeno, faciat mihi illud admodum terribile: animadverto quid MÀFA intendat. Hortari me vult, quod auderet nemo alias, ut defectus meos emendem: Agnosco hominis fidem, & integritatem, qui pari candore mecum utatur, nec est in universa Regia, nec quæsusitus undecunque potuit per Regnum hactenus inveniri. A septima luna tentor valetudine adversa, Provinciæ seditiones monent ac bella: credo de Imperio meo actum esse: Irato cœlo remedii nihil superesse arbitror, nisi quod ex morte.

morte mea fortè speratur. Malleum, si posthac
simile phænomenon contingat, nihil ultrà nun-
ciari. Quidquid agam, non deerunt fini strū
astrorum aspectus; recedentibus ipsis pejora-
omnia succedent: Aliud, si quid consilii, quò
studium applicem, succurrat Europæo, admo-
neri me velim. Non nescio, quòd totius Im-
perii Dominum me constituerit DEUS: Servi-
vi utriusque, quantum satis est, & quantum po-
tui: detraxi corpori quantum possibile: una da-
pe contentus, vili vestimento contentus; quid
ultra requiritur? quid porro agendum? Quid-
quid DEO placuerit, ut evenit, lubens patiar.
Interea cœli minas assidue mihi ingeri non a-
mo: Omittat MAFÆ terrores, illos astrorum.
Non perstringent animum, si ad aures non ap-
pulerint.

Improvide enim verò hoc nuncio te&ta se-
cum commercia P. Adami, magis animi, quam
fortunarum incolumentem spectantia repulit
Rex. Respondit itaq; per Evnuchum Pater:
Hortari se, ne despondeat animum Imperator:
non defuturum unquam, ut ex animo confu-
lat, quæ videbuntur felicitati Regiæ conduce-
re: promoturum se fidelitatem, cuius opinio-
nem nactus esset ad usque vitæ limites: Interea
mandato acquiescere, & Deum deprecari; ut
Regiæ Majestati in tribulatione sit adjutor, do-

T s nec

nec tempus quid agendum dignius, quam sine
cerè DEIUS adorandus, assentiente aliquando
ipsōmet dictaverit. Vix reducem Eunuchum
intuitus Rex, illico quid Māfa renunciet in-
terrogavit: ille executus ordine singula; hæc
inquit, non sine lacrymis coram dictata, à me
perferri voluit. Itane verò reposuit Rex, ta-
lia ille erga me viscera pietatis? abi protinus,
& nuncia: mortem minimè reformidare me,
sive hodie, sive cras immineat: non habeo
quod addam, qui Imperio moderando curam
impendi, quam potui. Qui ulteriora mone-
ret de more in reconditiōri autæ recluso præ-
ter ipsum nullus fuit. Quare si Māfa perspi-
cit esse amplius, quò prodesse populo, Deum
que mihi conciliare valeam, omnino suggerat:
Quidquid indicaverit, promptus exequar.
Amicè semper illum habui, & hoc sponte, &
ex corde: hoc ille nunc petenti viciissim red-
dat; ita sibi me unā devincturus, ac si omnia
simul beneficia isto exæquāasset. Ita tum equi-
dem Rex ad votum Patris, verūm alio distra-
ctæ curæ sunt, an ex levitate promittentis,
an internuncij fide?

Mense postero Rex totus incubuit expedi-
ēndis concubinę funeralibus, quam præter an-
tecessorū morem viduam duxerat, & secundā à
legi-

legitima coronaverat, atque nunc etiā post obitum Imperatricem dixerat. Modus sumptuum & luxus supra dignitatem fuit. Dissimilari tamen poterat hæc infania in æstu affectuum juvenilium, si non unâ Bonziorum perniciē in animum irreperisset. Nocentior concubina moriens, quād dum vixerat, superstitionissima quæque abs Rege exequenda postulavit; atque ex his non postremum, persuasit Bonziorum amorem. Itaque ab eo die Bonzios undecunque adducere cæpit Rex: vestes aureis fibulis insignes singulis dare singulas (& erant, qui accurrerant ad funeris celebritatem, duo Bonziorum millia) in palatium illos, unde eorum Principem, eundemque stirpis Regiæ constans quondam proscrisperat, inducere: Ceremonias, & sacra satanica superstitionissimorum hominum ediscere, ac perditè frequentare: ad hæc Eunuchos, & ex gynæceo Virgines ad assumendum profligatissimorum sacrificiorum habitum invitare, ad sectâ illius fanaticam professionem cogere, atque insuper ipse declinare in reprobum sensum, jamque a mortua pellice turpius Salomone dementatus, ratus capitis, vieti, & vestitu Bonziorum se discipulum palam jactare.

Non

Non defuit muneri suo, non tam amicitia, quam professionis Apostolicae causâ Pater. Omnem aditum obsedit, ut repetitis libellis arguere, obsecrare, increpare, in omni patientia, & doctrina deviantem à recto oculum posset. Ponebat ob oculos seriem Regum antecedentium, qui irretiti profanis cupiditatibus, aut impliciti superstitionibus, nihil minus quam posteritati Imperii consuluissent: imò unâ secum Regna, ac Provincias in exitium hoc vivendi genere præcipitâssent. Impudicos amores venenum esse docebat, quo pectus ac cerebrum inusta nihil moderabile posthac suaderent: obfessas à Bonziis aures, & vanis ludificationibus superstitionum irretitas, sanioris consilii admittere nequaquam aliud imposturum: prohiberi exinde curam Reipublicæ, Procerum studia excludi, populi necessitates contemni.

At obfirmatus ad ruinam Rex, insanissimi amoris æstu percitus, devovere caput, prius quam removeri à sententia, & desistere à cœptis statuit. Quid, inquiebat, MAFÀ, tu ipse religiosus cùm sis; nescio, quare de religiosis actionibus me reprehendas: Annon ferres a gerrimè? si tuæ Religionis exercitium inhiberè tibi, ut tu me ab his avocare contendis. Verum condono ista affectui, quo in Personam te

meam

meam ferri video; ac patior libenter hásce ab amante invectivas. Concitator antea suæ causæ prætenderat patrocinium, quo Pater Procerum quendam, de proditione Regi suspectum, complecti visus fuit. Et istum caruisse noxā demonstravit Pater, quando viri illius innocentiam vel inde confirmavit, quod ad sinistræ de se opinionis rumorem primū in aula subnatum illico sese, conjugem, liberos universāmque familiam voluntati Regiæ, decretoræq; sententiæ subjecerit. Attamen Regis animus inter præcipites affectus, & benevolentiæ pristinæ limen constitit; nec abjecisse reverentiam visus, nec tamen ad dictamen firmatæ olim gratiæ pollicitus emendationem. Ut expugnaret obnitentem, ad armā recurrit Pater, quibus complura alias impetrārat. Ex occasione phænomenorum pro genio gentis ominosissimo, identidem aspectabilium Regia pericula, ruinas Reipublicæ, Imperii convulsiones non judicio suo equidem dimentiebatur, sed ex Chinensium jam olim Sapientia plerumque conspirante augurabatur. Nec simul deerat salubrioribus mediis pro salute Regis, pro rei Christianæ, hāc vicissitudine admodum periclitantis, incolumitate à Numinе imploranda, facientibus. Una cum Sociis Patre Ferdinando Verbiest, & P. Joanne

Gru-

Grueber, supplicare apud Divinam bonitatem instantiūs cœpit, quò clarior animo Regio cœlitus lux affulgeret, & tandem ad recogitanda saniora fieret capax.

Non acquiescente Rege ab impotenti æstu, DEUS creatarum vanitatum accuratus censor effrænem audaciam compescuit. Omnium tam Tartarorum quām Chinensium animos primum ista intemperies ab illo abalienavit. Ducebatur ab errorum, ac superstitionum Magistris frequens per Urbem, nunc hoc, nunc illud fanum aditurus, & adoraturus Idola. Apparitores interim, ac satellites, quorum cura erat viam insternere, quā deducebatur Imperator solitā petulantiā per occasionem mercimonia Chinensium, atque res omnis generis vñnum expositas, non modo diripere, sed & proculcare sunt ausi. Fecit hæc improbitas, ut sæpius per hebdomadam commercia, magno incolarum detimento singulis sua cautiūs domi, quām ē publico servantibus vacaverint. Murmur exinde, atque indignatio populi; quin etiam veteris adagii metus increbuit; quo Reipublicæ exitiū propediem imminens denunciabatur; cùm nec ab ortu in occasum, neque ab occasu in ortum, ut ajebant, concederetur transitus; quod intercluso commeantium tam meridium, quām munerum, perpetuo apud Chinenses

ses fluxu atque refluxu sibi mutuo obviantium, nunc evenire ferebantur. Tartari vero, quod tempore maximè incommodo, reliquā domo & familiā cogerentur sequi, quocunq; traheret, Rex, sæpius mortem, eamque proximam ei comprecati, voto fortè propinquiorem fecerunt: Non fuerunt vani augures, qui divarium Chinensium portæ urbis inscriptum, videlicet, *bis novem non excedunt octodecim*, Imperij annis accommodabant, quos præteritum Regem vel nollent, vel non putarentur.

Alij ex fronte templi, quod Bonzijs ædificaverat, binos oculos pro symbolo appendi quondam à Rege jussos, qui vulgari proverbio Chinensium benevolentiam designant, *ambobus oculis te aspiciam*, inquit) deviante aliquantum sensu applicabant ad recordationem Monarchæ Antecessoris, cuius in Imperio moderando ætate, uti non inferiore, ita neque ulteriore oculo erat perspecturus Successor. Referunt celeberrimū olim Mathematics præfectū, qui ante annos ter centum præteritæ familiæ Imperatoriæ seriem tunc inchoatā, per ænigmata ad exitum usq; texuerat: hujus quoq; ab alia stirpe secuturi Principis obitum in finem decimi septimi, & exordium octavi conjecisse. Quod si

ali-

aliquando à signis cœli liceat metuere, Regē
jam ex morbo decumbente, inde quoque con-
spectus cometes est, rostro Aquilæ conjunctus.
Præfagus iste apud ominosam gentem, juxta
antiquitatis, ac priscorum suorum Sapientū
traditas eruditiones maximarum mutationum,
omnium in se oculos convertit, ac deinceps
quantumvis fabula, veritati prælufit.

Decubentem ex febrili calore, quem mor-
billi erumpere tentantes visi sunt causasse; tūm,
ut valetudini bene precaretur; tūm ut anni au-
spicia faustissima voveret, accessit Pater. In-
troducedus ab Eunicho, ne genua flecteret, à
Rege prohibitus est: cæterū, quod meliuscu-
le se habere crederet, propinari hospiti etiam-
num grato potum CHâ, maximi honoris & be-
nevolentiae signum jussit; nec plura collocutus
domum dimisit. Metu festinatior Mors su-
prema hæc voluit esse officia, quæ alter alteri,
impostorum separandus, impendit. Admisso
posthac extraneorum nemine, triduum vix su-
pervixit. Fuit tamen opportuna omnino hæc
postrema salutatio. Subire Regis animum, jam
sensim à vanitatibus avocatum, cœpit recorda-
tio monitorum salubrium toties ab amico Euro-
pæo suggestorum: refricare memoriam cæpe-
runt tot libelli supplices privato, publicoque
emo.

emolumento promovendo dati : pulsare pectus proposita tam exaggerata , quæ sanus conceperat , paulatim ordine expendi , quæ respondere rationi videbantur. Auditus à circumstantibus incusare suam negligentiam ; quod ad extrema deductus , plurius quæ animo sedebant expedienda , aut præterire nunc , aut in angustum contrahere compellatur : Pœnitere se , quod præclarissimarum opinione suâ rerum , opere suscipiendarum diem obire siverit. Tum daturus experimentum seriæ , nisi forte , jam quoque seræ pœnitudinis , arrepto penicillo puncta condonationis generalis , per Imperium & præmiorum benemeritis decretorum duodecim , exscripsit. Illis , excepta rebellione , parricidio , atque hujusmodi gravioribus flagitijs , reos cæterorum criminum omnes dimitti è vinculis : Proceres autem universos vel extolli ad eminentius fastigium dignitatis , vel eorum merita innumeribus erogatis compensari præcepit : Populos pecunijs Fisco debitibus absolvit : Ad servos præterea , omnisque generis subditos liberalitatem extendit.

Demum sentiens sibi jam jam abeundum , vocatis ad se quatuor Magnatibus fateri culpâ suâ factum exorsus est , quod Imperium sibi à Majoribus traditum male gubernando nondum pace firmâ constabiliverit : quod Regulos , ni-

mirum ejusdem cum Parente Sanguinis, minus
quam occasio tulerat, erexerit: quod Matris
consilia, Reipublicæ proficua, saepe non admi-
serit: quod de Patre & Avo bene meritis, &
emeritæ militiæ viris perexiguum patrocina-
tus sit: quod militiæ duces, ac milites frigidè
remuneratus sit: quod cupiditate congregan-
dæ pecuniæ ductus, Mandarinos, Procerés
que stipendijs defraudaverit: quod ipse rebus
curiosis adductus, multa inutiliter profuderit:
quod populum identidem oppressum, non ut
filios, sed tanquam alienos habuerit: quod Eu-
nuchos probrosam gentem, præter prudenti-
orum monita in palatium admiserit, ac fove-
rit: quod denique Reginam nuper defunctam
inordinato amore adamaverit, in eaque de-
fendâ, tam sibi, quam subditis molestus ex-
titerit. Postremò habere se filiolum octen-
nem, qui tametsi non esset ex Reginarum
aliquâ progenitus, propter ingenium tamen,
quo magna promittit, aptum videri, qui in
Imperio succedat, quem proinde, inquit,
vobis quatuorviris mihi à fidelitate & probi-
tate compertis unicè commendo: salvo tamen
vestro arbitrio. Quibus absolutis inflexo ad
quatuorviros capite, quod erat maximum re-
verentiæ indicium, vestem petijt: Hanc cum
dedissent, illustrem draconibus acu & auro pi-
ctis

Etis, aviti generis insigne, eamque induisset, continuò valefaciens collectis cruribus ac brachijs, ecce, inquit, abeo, ac mox decessit. Laudatiore exitu dignissimus Princeps, si prout edoctus fuerat, pleniori confessione, & proficuā magis ad vitam pœnitentiā usus, apertiū exposuisset, quem se ex hoc sæculo proficiscendo posteris censeri vellet. Placet interim judiciorum DEI in hoc fortunæ, ac virtutum unāque ætatis florentissimæ æstuū fastigio concertantium abdita revereri potius, quam explorare.

Rege sub medium noctis vitâ functo, manè insequenti Bonzij omnes, eorumque asseclæ è Palatio ejeti, unde venerant, postliminio sunt. Sub meridiem loculo inclusus, ab omnibus, qui illuc innumeri accurrerant, deploratus est, atque è vestigio de coronando succelsore actum; quem postridie omnium consensu throno impositum, Reguli, ac Belli duces, omnium item tribunalium Proceres, seu Mandarini, ter genu flexo, & novies capite ad terram usque inclinati adoraverunt. Adoratio hæc aliquoties per annum agitur, atque tunc universis in aulæ aditu ac vastissimo atrio congregatis: Disponuntur primū hinc inde cum labaris, vexillis, aliisque partim militiæ, partim pacis insignibus circiter

mille viri, ordine qui sequitur. Proximi aulæ, deferunt omnium colorum sericas, & holosericas umbellas, auro discolori pietas, manubrio similiter deaurato numero quinquaginta, nempe ab utroque latere viginti quinque. Succedunt flabella totidem, & ipsa opere phrygio venustè elaborata: Tum labara non absimilis apparatus ac pretij, non pauciora ter denis: deinceps vexilla prælongis hastis suffixa, re-præsentantia viginti octo mansiones Lunæ, stellis curiosè intertexta, auro fulgentibus, ac intercurrentibus Draconibus pari ex metallo cfformatis venustè horrida. Post hæc minora vexilla brevioribus hastulis librata, universim centum. Deniq; multiplicium operum, & diversarum formarum figuræ globi, secures, mallei sequuntur, inaurata singula capulis aureis insistentia quinquaginta. Pro umbellis, eò quod amplissimæ sint, quemadmodum & pro vexillis quibusque, propter horum magnitudinem sustinendis tres viri deputati, pro singulis aliarum figurarum duo: omnes ueste sericâ rubrâ rosis aureis distinctâ, elegantissimum ordinem emientes adstant.

Ubi Imperator in aula consedit, signo per tympanum aliaque instrumenta musica edito, Mandarini procedunt in medium, singuli pro gradu dignitatis suo ordine succedentes. Hisce prætergressis, altero per officiales, qui utrinque

que tanquam magistri ceremoniarum consistunt, nutu edito, cæteri unâ paulatim procedunt; dum pro gradu dignitatis sibi competente, quisque locum per suggesta ære fusa, ibique ordine disposita, designatum teneat. Hic demum dum sicut gradum, per deputatum ex Ceremoniarum Præfectis proclamatur, ut stant; ac momento universi prosternuntur; Post iterum jubentur, caput ut profundè inclinent: & istud tanta cum symmetria perficiunt, ut nemo citius, nemo tardiùs motu capitis imperata exequatur. Secundò & tertio eadem demandantur, & fiunt. Post ultimam genuflexionem, dum inclamatur, ut surgant, assurgunt simul omnes & tantisper stantes præstolantur, donec audiant per eundem, ut abeant; tunc enim simul universi retrocedunt, tamen ut nemo dorsum vertat, donec ferè intelligatur Imperatorem discessisse. Easdem ceremonias Reguli & Dynastæ per idem tempus observant, sed extra aulam in atrio contiguo, quod inferiore Magistratum atrio, tribus intervallis per cancelllos marmoreos distinctum, cubitis plus minus quindecim assurgens incumbit. Expeditis hisce, aliquantulum adhuc consistunt extra suggestorum ordines, dum intelligunt nihil à Rege præterea præcipitum enim à Regulis facto initio constitutâ serie aulam egreduntur.

V 3

Ad-

310 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

Adfuturos adorationi , vestibus designati ordinis , & indepti gradūs insignijs instructos, venire convenit. Proceres primi ordinis , in vertice pilei , deferunt carbunculum auro inclusum , ad cuius basim anteriorem appenditur unio : In cingulo verò quatuor quadrata explicant oblonga , auro circumdata , latitudine trium digitorum , longitudine quatuor plus minus , ex eo lapide , quem Mauritani inventi , Iaspidi simillimo , nisi quod durior , & aliquantum transparens , ac colore sit albante. In centro quadratorum rubinum aut carbunculum inferunt. At his Proceribus Magnates , qui eminent supra ordines dignitatum, in quos Mandarini omnes distribuuntur , solo cingulo differunt , cui lapides rotundos infibulant , & saphyrum centro inducunt. Reguli Rubinum in vertice , sed pluribus unionibus stipatum , & præterea in fronte pilei lamellam auream , in florem aliquem extuberantem gestant. Rex ejusdem formæ pileum , sed qui in vertice aureo ostentat unionem , magnitudinis ferè pyri moscatelli , ut vocant Itali , aut ovi columbini , pluribus ejusdem generis , mole minori consociatum , cingulum quoque defert radiantissimum ex multiplici tam unionum , quam gemmarum concursu superbum. Secundi ordinis Proceres , seu Mandarini , gestant rubinum in vertice cum-

mi-

minore altero ad basim ; cingulo bullas aureas innexis floribus protuberantes ; quarum iterum ex medio carbunculus prospicit. Tertij ordinis Proceres , vertice deportant gestamen aureum cum carbunculo ; sed ad basim saphyrum ; in cingulo verò , præter elaboratas floribus aureis bullas , nihil. Quarti ordinis , in summo vertice habent saphyrum , & ad hujus basim minorem alterum : & in cingulo bullas auro turgentes. Quinti , solo verticem saphyro ornant ; reliqua habent cum prioribus communia. Sexti ordinis , vertex crystallo fulgurat , ad basim saphyrum jungit : cingulum ex bullis constat cornu Rhinocerotis auro inclusum complectentibus. Septimi , verticem planè auro induunt , cui saphyrum ad basim , & ad cingulum bullas argenteas addunt. Octavi , verticem præferunt aureum sine lapide , in cingulo bullas ex cornu Rhinocerotis. Octremi , integumentum verticis argento elaboratum , & cingulum cornu bubali argento inclusu exornant. Post hos Licentiati vertice columbam auream circumferunt , stylo aureo vermiculato insidentem. Baccalaurei eadem omnino , sed argentea deportant honoris literarij insignia ; utrique cingulo innexas bullas habent , hi quidem ex cornu bubali ; illi verò ex cornu Rhinocerotis.

Vestes ipsæ gradum & ordines ab invicem discriminant. Draconibus insignitas soli tertii ordinis, & majores è numero literatorum: ex numero vero militarium (Mandarinorū quippe alij literati, alij militares sunt) ab ordine quarto ad superiores induunt. Deferunt præterea, quæ omnibus vestibus superinducuntur quasi saga; hæc varijs tum volucrium, tum animalium, acu picta, vel intertexta figuris rursus ordines distinguunt. Attamen, quia, cùm ipsis libuerit, ista ponere fas est, ac maximè æstivo tempore ea negligunt propter calores, non ad rigorem distinctiva sunt, quemadmodum cultus antea descripti, quos sine gravi culpa nec omittere, nec usurpare quispiam pro libitu au- sit. Lege insuper in violabili observatur in pa- latio locus, cui libet ordini designatus. Literati Proceres universi, in publicis actibus ad lævam Regis consistunt, qui situs est honoratior dex- tro, apud hasce gentes: Militares omnes dex- tram tenent, Rex semper Austrum sedendo spectat. Priores itaque ad orientalem plagam, ad occidentalem postremi locantur. Dignissi- mum admiratione illud; isthic esse tantam na- tionum diversitatem, quarum nullibi terrarum frequentior, ex tam vastis Chinensium Pro- vincijs, ne dicam Regnis amplissimis, conjun-ctis modo iteratò Tartaris: Hos tamen omnes ijsdem legibus, ijsdemque con-
sue-

suetudinibus, supra indolis discrimen multiplex, gubernari pacatissimè; nullo DEI amore, nullâ spē aut metu futurorum post vitam eveniūtum; solo decore facti, & honestatis ratione duci; atque in tanta unione animorum, non solum quoad ceremonialia, ac ritus, (in quos, quoniam Moscovitæ ante biennium legatione functi consentire nollent, cum dedecore, muneribus quæ attulerant redditis, rejecti sunt) verūm etiam nunc fortuitò in electionem pueruli in maximum Imperatorem & Monarcham, sine ulli^o vel notata obiter oppositione potuisse consentire.

CAPUT XXIII.

De cura universim mortuorum apud Chinenses.

Chinenses æquè, ac Tartari, exquisitam curam in humandis mortuorum suorum corporibus locant. Putant etenim totius posteritatis felicitatem ex eo pendere, si Majores nacti tumbas ex ligno, quam maximè incorruptibili, in illo conclavi subterraneo annorum seriem quam longissimam possint exigere in emolumentum suæ posteritatis. Proinde Chinensium opulentiores sæpe trecentos, quingentos, atque interdum supra mille aureos in

V § vita

vita seponunt, impendendos postea sepulchro. Tabulas ex cedro, aliisque hujusmodi materia à sexcentis, eoque amplius lucis summo labore advectas congregant: Ut cum deceaserint, ex iis loculos nanciscantur, quibus recepti lateant æternum. Forma sarcophagi ad pedes, apud Sinenses est strictior, ad caput autem latior, & altior: superius plana, tabulâ supremâ, imo & lateribus prominentioribus, quod earum crassities appareat. Apud Tartaros superiores tabulæ in cacumen per totam longitudinem in starcti defluunt, ipsæque tumbæ totæ foris depitæ: non admodum de crassitie tabularum curant; Siquidem tumbæ ad aliud nihil serviunt; quam ut in iis efferantur ad tempus cadavera: Ubi enim ad sepulturæ locum pervenerint, unum cum ipsis cadaveribus cremantur: ac post diem tertium collecta ossa ex igne albantia, in vas ex porcellanâ Sinicâ recondita ad sepulturam servantur. Peculiaris superstitione, an cura eos tumulant, qui ex variolis occumbunt. Hos enim centum omnino diebus asservant, priusquam crement.

Student universi, dum vivunt, locum tumuli diligere, & solum sepulturæ suæ aptum, ac decentem designare; quem si in proprio fundo non habuerint, alibi magno pretio coemptū com-

pa-

parant. Conditiones illius opportunissimæ sunt; ut sit quantum fieri potest admodum siccus; à tergo nec foveam nec lacunam ullam habeat: ante frontem ne fluvius præterlabatur, neque via publica transeat: ne ante se fanum aliquod aut turrim aspiciat: sítq; locus planus: nec antè, quam retro depresso. Ad quamcunque tandem terræ plagam locum sepulturæ delege- rint; eum à tergo aggere semilunari circum- dant; qui agger in medio elevatior, paulatim ad anteriorem partem non æqualiter declivis; sed per monticulos quasi descendat. In hujus aggeris anteriori parte senior sepelitur à Chin- nensibus: filii ac nepotes per utrumq; latus or- dine descendunt non promiscuè, sed ad legem vetustioris ortūs. In medio mensa lapidea sta- tuitur; in qua comestibilia & odores, quæq; ad honorem demortui pertinent, collocantur: Singulis sui tumuli ex terra aggesti: Principi familiæ altior; cæteris paulò humiliores super- stant. Quod si quis de familia ad eminentio- rem gradum dignitatis emerserit; propriam i- pse sibi sepulturam adornat. In hac juxta di- gnitatem, statuæ è lapide, hominum vel ani- malium figuræ, utrinq; ad latus viæ deorsum eriguntur, & arcum quasi triumphalem pro cuiusque facultatibus componunt:

reli-

reliquum spatum arboribus, quæ ferè omnes Cupressi sunt, conseritur, additürque murus per circuitum, si libuerit.

Tartari nonnihil aliter agunt. Tametsi enim quoad situm, & locum requirant omnia eadem, quæ Chinenses; non tamen eodem ordine se peliuntur; sed vel singuli seorsim; vel juniores ad latus seniorum. Utraque natio erigit lapidem cum inscriptione; quæ ætatem, officium, & Regia beneficia continet. Atque ne characteres ætate deleti pereant, ac demortui recordationem & merita unâ auferant; præter lapidem tumulo incumbentem Chinenses alium quadratum, cum eadem inscriptione suppleturum alterius defæctum, ad seram posteritatem de rebus gestis demortui erudiendam, in terram seu fundum sepulchri defodiunt.

Mortuo igitur aliquo quicunque sit, exemplo propinqui & amici conveniunt ad funus, & altâ voce complorantes illud circumdant. Tum saccum cannabinum plenum panibus compatis ex papyro, aurôq; & argento obductis, ut planè aurei, & argentei videantur, ante fores suspendunt. Nobiliores verò albæ telæ tenuissimæ, & omnino transparentis frustum, cum schedula, quæ funus denuntiat, ad amicos mittunt. Qui constitutâ & designatâ die adsunt; suffitum, cereos, & pecuniam offerentes. Domum ingressi consistunt ante mensam, quæ

tum-

tumbæ ex adverso in medio aulæ collocatur. Ibi suffitu accenso, & in mensa deposito aliquantulum retrocedunt, & quater flexis genibus capite profundè ad terram usque inclinato, simùlque ejulantes, reverentiam mortuo, ibidem in fronte tumbæ depicto exhibent. Ubi surgunt ab adoratione, prodeunt pupilli, vel propinqui; qui ad latus tumbæ intra cortinas seorsim per id tempus fleunt. Hi de genibus advoluti venerantur hospitem, eidemque quater continuò in terram concusso capite gratias agunt. Recedentem alius ex propinquis comitatur; & siquidem consentiant, invitat ad bibendum CHâ, potum Chinensium. Ubi aliquantum assederunt, hospes ad portam aut plateau deducitur. Finito tempore visitationum reditur à propinquis ad domum lugubis: Unde funus ad sepulchrum, vel saltem ad portam urbis usque deducunt: Tum pupilli, quò se gratos ostendant ijs, qui inviserunt, accedunt ostia singulorum. Ibi etiamnum in veste lugubri, quæ ex cannabe satis aspera conficitur, opperientibus prostrati in terram, nec audentes ingredi, reverentiam pro exhibito nuper obsequio vice debiti persolvunt.

Tartari longè aliter funus instituunt. Ipso scilicet die, quo quis moritur, tumbæ inclusus, & domi deploratus effertur, (nisi Regulus fit aut Dynasta) Defunctum comitantur amici: utrin-

318 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

utrinque postea longo ordine ad rogum stantes, atque altâ voce deplorantes. Peracto e-julatu discedunt qui deduxerunt, ac domestici ignem pyræ supponunt, & omnia servatis duntaxat ossibus in cinerem redigunt. Reguli nonnihil amplius honorantur post mortem. Nam tuic domi, bis tûrve complorationibus exactis, statuuntur famuli utrinque ante aulam; qui dexterâ ostentent ea, quæ ex Reguli dignitate, & facultatibus erant: his galeas, illis galeros: his cingula, illis balteos: his gladios, illis arcus cum pharetris: alijs canes venaticos, & alia demum quibus assueverat, repræsentantibus: atque una, inconsolabiliter plorantibus. Non absimili ordine dispositi circumstant equi, pretiosissimis ephippijs instrati; quibus holosericos pannos ad sepulturam concremandos induunt, equis onibus fræna tenentibus. Tum camelos pari ordine oneratos, & quæ ad pom-pam funebrem spectant deferentes. Tympanistæ quoque, ac tibicines sub porta modulos quisque suos excquiritur.

Die constitutâ deducitur funus. Præcedunt tibicines continuò triste carmen insonantes; Hos cameli viginti, aut triginta insequuntur è toto grege selecti; qui tentoria & utensiliæ

lia

lia ad locum sepulturæ deportant, ornati fræ-
nis sericis, & pellibus martium de collo pen-
dentibus. Post umbellæ sericæ: post umbel-
las flabella grandia piæta, & deaurata. Se-
quuntur vexilla, labara, & quicquid est si-
gnorum militarium. Tum vasæ aurea & ar-
gentea. Post tandem equi phalerati agmen
claudunt. Famuli supelleætilem pretiosiorem
gestantes, & sellæ gestatoriæ, quibus uteba-
tur Regulus postrema sunt. Locus sepulturæ
in formam muri storeis totus circumdatur: e-
rectis intra hoc spatiū tentorijs patentibus,
pro abacis, & utensilibus: reclusis pro supel-
lectili pretiosa ad comburendum paratis. In
medio stat ingens aula constructa ijs storeis pro
cadavere deponendo. Ad hanc qui in proce-
sione fuerunt ultimi, consistunt primi. A ter-
go istorum cæteri utrinque prout dignitas po-
stulat, consistunt: Spatio reliquo, quod post
aulam diffunditur, mulieribus reliæto. Ubi
omnes locum ingressi sunt; eræti stantes tam
viri quam fæminæ unà omnes plorant ali-
quamdiu. Ploratu finito magistri ceremo-
niarum de Tribunali rituum ea, quæ ad sa-
crificium pertinent, apparant, mensas omnis-
generis fructibus & bellarijs onustas appo-
nunt. Addunt etiam carnes paropsidibus

ar-

320 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

argenteis maximis impositas. Tum urceolum
vini cuidam de nobilioribus Regulis porrigunt,
qui liquorem tertio in altum elevat tanquam
mortuo oblaturus. Inter hæc Regium diploma
depromit, quo Rex demortui merita com-
memorat, eumque titulo aliquo specioso coho-
nestat. Elogium istud delectus de Tribunali ri-
tuum elatâ voce omnibus genu flexis, atque
attentissimè auscultantibus recitat. Prælectum
diploma, ubi absolvit præco, in foculo ibidem
apparato in favillas redigitur; atque una o-
mnes ter capite ad terram demisso, simul as-
surgunt, iterumque complorant. Tum dome-
stici pyram accendunt chartaceam collis instar
elatam, undique velo purpurei coloris tenuissi-
mo obvolutam, in quam vestes pretiosissimas,
pileos, ocreas, ephippia, aurea & argentea
vasa, sellam etiam, & lectum defuncti conjecta
igne absumunt. Hisce in cinerem redactis quid-
quid argenti, vel auri confluxit, extractum
denuo chartâ convolvunt, ac demum post diem
tertium congregati rursus igni tradunt, novis
identidem alimentis adauecto, donec universa
digesserit. Equi phaleris nudati scuticâ propel-
luntur in campum: liberumq; est volentibus
emere, dimidiato pretio persoluto eos habere.
Quibus peractis abeunt invitati, Regulorum
aliquo extra funeralem portam deducente, &
gratias agente: nisi defunctus ejusmodi fuisset,
cui ista officia jure debebantur.

Sub

Sub hæc tempora translati Chinensium ad Tartaros Imperij obierat senior de familia Imperatoria Regulus, quem, nisi ultro cessisset, regnum manebat. Huic pompa domi & foris, quam descripsimus, impensa est: deducentibus funus honoris causâ ferè quinquaginta equitum millibus, aliisque in numero comitatu. Optimus senex dignius aliquid per animos viventium memoriæ transcripturus, jussit epulum pauperibus dari; quo eorum aliquot milia refecti sunt. Bonzijs eò, quod non nihil apud tumbam demurmurassent, tria aureorum millia, cum centum pannis ex holoferico data. Postquam Patruus Regius obierat, eò quod Imperium aliquamdiu gubernasset, duplo plures comitati sunt: Mandarini quoque Chinenses, coacti è palatio per urbem totam pedites prosequi funus, per nives & glaciem, hyberno tempore, bini & bini procedere longissimo ordine; donec portas urbis egressi licentia equitandi fieret. Idem ad funus fratris Regis factitatum est; multò ad hæc nitidius ordinato processu, & augustiore apparatu impenso: prælertim quod in pretio hic Princeps omnium maximo per Imperium esset, atque amabilis plurimum & dignissimus throno Regio habetur.

Non contenti unā pompā sepulchrali Tartari eam post septenos dies aliquoties iterant: donec quidquid mortuo fuerat in delicijs, ac divitijs totum absumptum. Infuper si quæ concubina gratosior, vel familiarior aulicus fuit; hi sponte pereunt suā, & concubina (vehit aut nolit) suspendio seipsum enecando comitari cogitur; ut defunctus in altera vita habeat solatium, quo juxta imperitam persuasōnem barbaræ gentis delectetur. Prudentiores tamen crudele hoc sacrificium postea detestati libello Regi oblato rogārunt, quò immanem hunc abusum lege latā tolleret; uti etiam profusionem sumptuum, ac vanam tantæ supellec̄tilis incinerationem prohiberet. Affetu non planè sublato volentium maritis atque amicis commori: consuetudo tamen interdictis identidem Regijs intercepta est plurimū: ac pro pannis pretiosissimis substitui jussi papyrus, qui convolutione, & picturā foris adhibitā veros mentirentur, singulos singulis aureis æstimatos. Plūs sibi licuisse voluit nuper Rex in funere concubinæ Regiæ. Ipse funus extra palatiū muros comitatus; ibi deposito ad tempus funereæ flammæ constitutum loculo per dies centum, quartā semper sacrificari jussit: quibus solis ineptijs præter apparatum, ac materiam solennitatum supra de-

decem millia aureorum expendit. Inter alia vanitatum edita spectacula mensas ipsas cum stragulis ex hoc holosericis igni impositas concremabat: dignam omnino pœnitudinem, quam in morte ipse postea præsetulit, levitatem. Feretrum pretiosissimo panno attalico instratum fuit, quod infuscatus ipse est præter majestatem. Illud antecedebant sellæ tres gestatoriæ ad speciem aureæ; sed tantummodo deauratæ, exquisitissimis undique geminis insertis fulgentissimæ. Præcedebant præterea tres currus equis deducti, eodem artificio supra conditionem illustres. Ploratus aliquot millium hominum quotidie institutus; cætera superioribus affinia fuerunt. Retulit Quæstorum nonnemo absumpta tum supra octingenta millia: triplò aut quadruplò amplius elapsura, si concubinæ illi sepulchrum parandum, ac funus deducendum fuisset. Verum his, qui irregulares fuerunt, omissis sumptibus, ad Regulorum in exequijs apparatum, quem cæteri in Republica digniores solent æmulari, aut imitari, revertamur.

Postquam igitur secundò ac tertio omnib' de-nuō ad sepulturæ locum confluentib' sacrificia, & planetus peractus est; Tum demū pro sepulchro aulam pulcherrimam tanquam viro ædifi-

324 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

cant, muro undique cinctam; & juxta murum utrinque ædificijs varijs, ad modum ferè quo in palatijs delectabatur vivens associatis. In istis servos fideliores collocant. In aula bustum apparent supra quadratum tumulum è lateribus extructum: Circum pulvinaria & sellam defuncti collocant, in pariete utrinque cingulum cum gladio, baltheum, & pharetram cum sagittis appendunt. In hanc aulam quotidie anno integro cibos inferunt, quos coram tumulo, quasi defuncto pransuro aut cænaturo apponunt, adstantes interim aliquamdiu ad latera, ac complorantes. Inferiorum ordinum Tartari, cùm sint fortunæ cum superioribus imparis; ædificium ad busta non exstruunt; sed CHâ, vel cibo allato, atque immediate coram tumulo collocato discedunt, non ultrà assistentes, nisi cùm hoc honoris officium demortuo præter solitum præstant.

Chinenses è converso instruēto magnifico apparatu, quando propinqui & amici converunt, præmissâ versùs defunctum solitâ reverentiâ domo hoc ferè ordine exeunt. Præcedit titulus nominis, dignitatis, & ætatis in serico rubro argenteis litteris depictus, præ longo hastili dependens. Sequitur longa series puerorum flores omnis generis ex papyro colorata, arundinibus præfixos, deportans.

Ad-

Admiscentur floribus formæ multiplices tam hominum, quam animalium, hortorum, ædificiorum, aliarumque deliciarum oculos oblectantium. Ihs qui à pietate commendati forte obierunt, trahis, seu vehiculis idola plura elegantissimè insita præferuntur. In uno feretrorum defunctorum imago prostat. Post hæc Bonzij cum cymbalis, fistulis, aliisq; musicis instrumentis aures verberant. Deinde histriones in equis, eo habitu, quo comœdias apud sepulturam acturi sunt, intercurrunt; multis interim per iter artificiosis ignibus crepitum excitantes: per cannas item teretes subvolantes in altum, atque in aëre gesticulationes miras exhibentes. Alij stant in equis, vel inverso capite, vel ex stapede una librati pendunt, aut juxta equum pari velocitate viam decurrunt. Quæ omnia temperando luctui sunt. Propinqui anteeunt tumbam pedites. Pupilli loculo quam proximi, baculis innixi, atque etiam à famulis fulcientibus brachia, incedunt simulatis viribus præ mœrore defectis. Feretrum defunctorum sericis, & preciosis pannis instructum, ad minus octo; ut plurimum sexdecim; aliquando etiam triginta duo Sandalarij deferuntur. Fœminæ omnes in sellis gestatorijs sequuntur, præcedens universim virorum agmen, quod ordinibus passim vel

X 3 equo,

326 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

equo , vel pedibus admiscetur . Cùm ad Io-
cum funeris ventum fuerit , ij , qui pompa-
ducebant , in papyraceum omnia cumulum
conjecta supposito igne succendent : tum ad
mensas ibidem coram sandapila varijs fructi-
bus , & suffitu instruetas additis utrinque por-
co , & vervece exenteratis , & purgatis acce-
dunt . Hic digniores duo vel tres pro omni
turba libato suffitu accendent odoramenta ;
unaque his recendentibus circumstantes flexis
genibus , identidem assurgentes quater supra
relatam demisso capite reverentiam repetunt .
Scedunt postremo ad latus , & locum capessit
ante omnes , qui ad signandam defuncti tabel-
lam accessurus est . Jam enim antea Chinenses
tabellam apparant triū circiter digitorum lati-
tudinis , vix ulnā longiorem . In hoc descripto
nomine , & conditione defuncti , primam litte-
ram hanc **Æ** quæ Regem significat , quasi oti-
ofam præponunt : Unde qui eam in hac fune-
rali celebritate signaturus est , cultissimis vesti-
bus , atq; ijs , quibus Regem accessuros uti pro
ratione dignitatis oportet , indui necesse est .
A duobus ceremoniarum præfectis deductus
iste , oblatō penicillo prius omnes circum-
stantes pro se deprecatur , professus se hoc
munere indignum . Tandem supra litteram
in fronte tabellæ præscriptam , ac nigro colore
depic

depictam addit rubrum punctum, hac ratione
 38: tum enim ex ea voce, quæ Regem signi-
 ficat fit altera, quæ Dominum sonat, ut ita-
 cum nomine demortui priùs subnotato evadat
 sensus integer: nempe Dominus talis & talis,
 &c. Hæc illa postea tabella est, quam pro-
 pinqui domum referunt cum defuncti effigie;
 ut quot annis sæpius in illa parentum suorum
 memoriam venerentur, quæ effigie quoque
 vetustate deletâ perdurat longam annorum
 seriem superstes. Inscriptione peractâ enco-
 miastes idem præit universis totidem, ut antea,
 genuflexiones & reverentias: reliqua abeun-
 tes libitinarijs permittunt. Porro antequam
 discedant vel in domo ex storeis erecta, vel in
 proximo fano hospites convivio excipiuntur;
 in quo primum poculum pupillis, ad abster-
 gendas, ut ajunt, lachrymas propinatur, atq;
 si lubet ad comedendum; & ad audiendas co-
 mœdias diutius subsistunt. Domum redeun-
 tes Táu Sūs aliquot congregant (sectæ genus:
 est apud Chinenses à tribus millibus annorum
 per Lâo cù Confutio cœvum inveniunt) hi
 totam domum à spiritibus expurgari accu-
 runt: aspersâ aquâ, nescio quâ, ut putant
 eos amoturi, ac quietem domibus procura-
 turi.

Vestium non una æquè apud Chinenses, &
 X 4 Tar-

Tartaros in funeribus est ratio. Habitum cum luctu per successum annorum variantur; Utrique tamen albo universim utuntur. Primo insuper anno Chinenses tam viri, quam foeminae induntur cannabe crassam, & foraminibus per viam, quam etiam capita involvunt: calceos rudes ex albo paño deferunt, ac fune cinguntur: Tantum qui neglegunt corporis dolorem ex parentum morte conceptum testentur. Secundo anno vestem ex subtiliori panno assumunt: pileum ordinario similem formam, non colore: calceos nitidiores, & jam discincti pergunt. Tertio anno sericam admittunt: nec disparis materiae, tametsi albi coloris, pileum; aut etiam ordinarium, qui niger vulgo esse consuevit. Porro novem menses censentur annum luctus implere: tempus quo in utero gestati sunt, in luctu demortuorum ter repetito non excedens. Hoc interea toto tempore in maxima quamvis dignitate constituti, officio se abdicant, vacationem ipso Rege lege Regni probantur. Si forte per id tempus, praesertim initio, invisan-
tur, non audent hospiti ex adverso, vel juxta, more ceterorum, assidere, sed in humili scabello accumbuntur. Primis potissimum mensibus non modo cibos jejunantium tantum adhibent; abstinentes a carne, vino, piscibus, lacticiniis, & aliis hujusmodi; sed & plane insi-
pi-

pidis vescuntur, sale & aromatibus nequaquam conditis. Pro uxore, fratribus, filiis, cæterisque propinquis tempus luctus quemadmodum brevius est; ita uestis lugubris, ac vietus ratio perquam melior. Deflendis parentibus filii triennium impendunt; quod etiam tempus uxori pro marito mortuo præscriptum est. Seniore filio, ejusve uxore, seu majore nuru mortuâ, parentes annum luctum assumunt: quem ejusdem maritus pro uxore mortuâ gestat; itemque fratres pro fratribus observare necesse habent.

Tartaros quod attinet: in luctu omnes tam de familia, quam propinqui talarem tunicam ex albo panno induunt: eamque simili materiâ, in circulum convoluta constringunt: ocreas ordinarias sed quam possunt attritas: pileum consuetum detractis tantum floccis ex serico rubro, pro ornatu impositis, gestant: barbam & capillos sylvestre patiuntur. Exacto mense ex papiro aliisq; utensilibus focum faciunt, in quem detractum cingulum singuli iniiciunt, hoc pacto renunciasse se luctui profitentes, postea solito more incedunt. Vicini autem, & amici, aut detractis tantummodo ex pileo floccis; aut retentâ habitus ordinarii formâ, materiam dunt taxat nobiliorem viliori permutant. Nō magos

330 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*
illos spirituum domitores, non spiritus infestos
curant. Mulieres Tartaricæ, dum lugent, or-
natū corporis, qui alias niger, & honestissim'
est, in albū convertunt. Pro integumento ca-
pitis, quod alias crinib' intortis simplicissimē
contegunt, albam vittam, sed cinguli in modū
complicatam assumunt, quā caput coronant,
vittæ appendicib' per humeros defluentib'. Sin-
gulæ baculū arundineum albā chartā obolutū,
manibus præferunt, dum ad plorandum acce-
dunt: egregia conditionis humanæ, quam de-
fleunt, vel apud idiotas symbola, ac barbaros
documenta.

CAPUT XXIV.

*De funeralibus demortui Regis déq; juramento
fidelitatis successori præstito.*

AD Regium funus, unde discessimus, post-
liminio revertamur. Ab obitu die poste-
ro, quæ octava primæ Lunæ fuit, circa meri-
diem loculo inclusus Rex est, vix ullus in urbe
Tartarus publico officio præerat, qui unā cum
uxore, & filiabus non advolaverit. Atria ex-
inde omnia ita redundarunt, ut quantumvis
capacissima transitum vix darent. Nobiliores
in atrium interius, aulæ Regiæ proximum re-
cepti

cepti sunt. Aliquoties omnibus simul flentib' deploratus Rex est; & quod mirum in planctu prosequendo, continuandoque servatus ordo. Tartari omnes in octo vexilla planè distincti, binis ac binis in aulam introductis postquam deplorâssent, succendentibus aliis locum concedebant. Itaque fine defatigatione complatio continuavit: vicinis atriis cum remotioribus ultrò citrōq; comeantem turbam euntem, redeuntēmque permutantibus. Non defuerunt interim iisque plurimi, qui toto triduo insigni inediâ laboraverint; dum excedere atriis non auderent ipsi, nec famuli intro suppetias laturi admitterentur.

Misertus turbæ per inediam, & incommoda defecturæ P. Joannes Adamus, quartâ post Regis obitum die, per libellum Gubernatores orat; ut de publico victum communi necessitati administrant; aut multitudinem abire domum patientur. Adesse mulieres pro imbecillitate, sexus tantis incommodis impares: Adesse viros ætate grandævos, valetudine fractos, ferendo oneri diurno inassvetos. Vix libellum obtulit Pater, cùm Gubernatores laudato confilio, confessim populum omnem dimiserunt, statueruntque, ut sequentibus tantùm septem diebus Mandarini omnes summo manè aulam ingressi

332 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*

ingressi semi- horæ spatio; quo tempore hinc Bonzii, inde rāu sū suas deprecationes decantarent, complorarent & ipsi: quo tempore exacto quisque ad Tribunal suum reversus, ibi acquiesceret, & statutum pro Rege jejunium, menstruum videlicet, observaret. Præmisserat Pater perendie libellum alium, exigente id officii sui ratione, quo descriptionem physicam corporis, ac motūs Cometæ quatriduō ante spectati complexus, simul prognosticæ priscæ Chinensium Sapientiæ, seu veteri fato peregrini sideris, seu mortalium persuasione communi, plerumque de sua felicitate multūm anxiæ, ac sibi suspectæ, mortem Principū nempe, ac bella comminantis, addidit: quæ præsens fortuna amplius nunc vulgo exaggerabat, ac confirmabat. Eam quoque ob causam suborto maligno phænomeno, dum gravius à morbo periclitaretur Rex, suppressa ejus observatio, & de eo disceptatio nuper fuit: ne ominosis ut plurimūm animis, ideo quia rerum naturalium imperitis, & ignaris finium, quos natura, & D E U S in agendo prætendit, agravaret discussio novitatis aëreæ Principi molestiam, ac populo calamitatem. Executus postea suum munus est fructu multiplici. Per Cometæ expositionem quippe juvabat plorantes, dum ista phænomena pro signis infortuniorū juxta persua-

suasionem vulgi adduceret: quasi quod cæteris arrideret oculis, novo isto inducto collachrymari cœlum publicis calamitatibus velle videatur. Consolabatur sperantes, dum pericula quæ singulis impendebant, unâ Regis morte absumpta suaderet, tanquam cœli tempestatem excusso in aulam fulmine sedatam. Timorem quin etiam intorquebat in eos, qui Providentia Divinæ, ac cœlestium incurii, perditè vivebant: admonitiones ajebat, & flagella improborum eminus interdum ostentari, ut caveantur, ediscantq; mortales aliud præterea esse, quam quod oculis ac consuetudine capimus quotidie, quod rebus humanis etiam potentiorum præsit. Eruditionem demum augebat literatis; cometarum causas & origines exhibens: effectus ac vires expendens: docens aut nulli, aut præ reliquis magis nemini, noxios esse, quia asperitas omnibus non in sequiorem potius quam meliorem fortunam naturâ inclinantes; quia nullius æmuli aut familiares. Omnia experimentis, aut connexione ad invicem rerum creatarum productis comprobabat. Cæterum affirmabat divinationes tantum esse mortalis audaciæ in abdita placitorum divinorū improvidè involantis: quæ sidera hæc pro internuciis agnosceret Dei decretorū, particulares per orbem

bem eventus designantibus ; cuius tamen consiliarium nemo usquam egerit. Gubernatores grato animo suscepere laborem observationi cœlesti impensum. Unâ confirmârunt privilegium Præsidis Mathematum; ne libellos per cætera Tribunalia præmitteret, dum tandem Gubernatorum oculis admoverentur: Jusserunt illos, ut nuper Regi, nunc etiam sibi sine arbitris præsentari. Ad hæc mandârunt, rata ut habere se Pater significaret, si è re gubernarent, si secus, fidenter admoneret, ac corrigeret. Simul, honoris amplissimi indicio, volverunt Patrem in eodem pulvinari secum accumbare.

Decimâ quartâ primæ lunæ præstitum novo Regi fidelitatis juramentum est. Singula tribunalia seorsim, ne multitudo obstareret, interiorius aulæ atrium dedueta sunt. Primi, ac secundi ordinis Proceres ad superius atrium ascenderunt. Ibi ante funus defuncti Regis flentes, reliquis unâ complorantibus audierunt prælegi juramenti formulam: quâ perleatâ, ibidem combustâ simul omnes ter flexis genibus, & tertio demisso ad terram capite defunctum in testem facti invocantes, venerati sunt. Tum digressi ad Idolorum templum diverterunt. Ibi iterum ratificantes juramentum

præ-

præstitum paribus ceremoniis incepta perfec-
runt. Pater, quoniam ante Idola jurare non
erat conveniens, Gubernatores accessit, pro-
fessus se legis divinæ præconem non debere
ante Idola flectere: quare ipsi, ut alio loco hæc
præstaret, indulgerent; Responderunt perhu-
maniter: tametsi MAFa non jurares omnino;
nemo est, qui de animi tui sinceritate, & in
Regem fide dubitet. Nihilominus, quando
cum cæteris idem præstare paratus es, hos pro
libitu, sive domi ante Dominum cœli, sive
quocunque loco facias, perinde habebimus.

Ablatis die septimo ab obitu Regis sacrificu-
lorū à funere temporaneis & storaccis tectis,
in libero atrio Proceres consederunt. Primo-
res in aulam vocati, reliquis extra ostium stan-
tibus, ac prosequentib', initium comploratio-
nis dederunt. Duravit hæc solito diutius pro-
pter Reginam matrem quæ accesserat, atque
cum gynæco præficam agebat. Tum ex ten-
torio, quod coram funere stans ad latus aba-
cos continebat, exportata vasa aurea & argen-
tea non pauca; mensæ item, quæ funus ambie-
bant, bellaria in paropsidibus argenteis cumu-
latissimè deferentes; & conjecta in igne omnia
una aut conflagrârunt, aut colliquata sunt. Re-
liquo tempore, uti præcedentibus diebus, qui-
bus ad lugendū procedebatur apparitores, &
fa-

ſatrapæ quæque ad Regem pertinentia manibus
gestantes, item equi, signa, & vexilla, aliisque
ad pompam ſpectantia longo ordine proposita
circumſtabant utrinque in aditu palatii; nec niſi
Mandarinis egredi incipientibus, recede-
bant.

Primæ ſecundæ lunæ idem ploratus, eadem
que ceremoniæ peractæ, ipsa ſummo manu Regi-
nâ Matre аſſiſtente, & ſuccenſis iterum men-
ſis, quarum unamquamque quatuor viri defer-
re vix poterant, in ſtragulis quoque, ac vef-
tibus rogo injeſtis. Postero die ad deducendum
funus convenerunt: quod retro palatium in-
aula propinqui collis, qui pro Regum deliciis
cervos, lepores, & damulas alit, deponendum
interim erat, donec Mausolæum Regale alibi
conſtruatur. Via primum, quæ ad collem
ex palatio deducit, terrâ flavâ æqualiter, &
planissimè inſtrata fuit. Pulvis namque, qui
Pequini eſt multus, & moleſtus, terrâ aggelata
per plateas compescitur, ne officiat oculis;
quin etiam, ut reſurgat minùs, aquâ identidem
asperſa tenetur; unaq; ſolidatur pavimentum,
ne quām levissimè vel pedem offendat. Eo
Proceres universi; atque hos inter pro ratione
officii P. Adamus progreſſi: Omnes in ueste
lugubri, hoc eſt, albi coloris; utrinque dein-
ceps

ceps per viam collocati, feretrum ac tumbam deduxerunt. Præcedebant Elephanti novem turriti omnes: Cameli quadraginta, frænis aureo fibularum complexu innexis, & martis pellibus, sub collo animalis defluentibus, adornati. Ferebant hi tentoria, aliámq; supellectilem, stragulis rubris omnes instrati. Pòst deducebantur centum equi frænis è flavi coloris holoferico sine auro; hastilibus tamen deauratis, quæ præibant tympanistis ac tubicinibus aliisque instrumenta musica deferentibus centum. Sequebantur mallei deaurati quinquaginta; posthæc vexilla diversorum colorum, & aureis partim, alijs feris animantibus, avibus, & viginti octo constellationibus intertex-
tis atro, ut alia quæque picta, omnino centum. Tum iterum mallei quinquaginta: quibus suc-
cedebant equi ephippiati centum: quorum ul-
timi triginta deferebant onera pretiosa, pannos videlicet holofericos, & vestes Regias ad com-
burendum. Istos à tergo excipiebant juvenes
viginti, portantes singuli pharetras Regias, plu-
ribus gemmis, & unionibus ornatas, cum fa-
gittis & arcubus quos immediate anteibant ca-
nes venatici duodecim insigniores. Præfere-
batur Regio feretro per sexdecim bajulos le-
tica Regia, quâ vivus devehî solebat, deau-
rata splendidissimè; atque in apice globo aureo
terminata. Bajuli uno colore, eoque croceo,
rosis

X

338 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*
rosis aureis distinto , procedebant induti.
Claudebant antecedentium agmen vasa aurea
& argentea quam plurima. Eminebat posthæc
Regium feretrum panno aureo , hyacinthinis
nubibus , & floribus acu pīctis consperso in-
stratum ; penes ibant hastati milites , & alijs
rhomphæis armati. Funus à triginta duobus
colore croceo, & apparatu aurearum intercur-
rentium rosarum vestitis deportabatur . Se-
quebatur Regina Mater in lectica purpureo se-
rico obvoluta. Tum lecticæ septem, albo pan-
no goffinio indutæ ; singulæ singulas vel Re-
ginas , vel concubinas deferentes. Non lon-
go post has spatio Magnates plurimi , pedites
omnes ac deinde Proceres universi turmatim,
iisque , qui secus viam flexis genibus recepe-
rant funus Regium simul confuso ordine secuti
sunt usque ad collem sepulchralem muro antea
circumdatum. Verum dirupto muro facilis
brevi patuit via. Primorum ordinum Proceres
subjerunt atrium aulæ , ubi portatores cadaver
depositerant : Ibidem aliquamdiu stantes com-
plorarunt , reliquis idem quaquaversum faci-
entibus. Tandem unus ex præcipuis Regulis
vinum in phiala aurea ter elevavit, omnibus si-
mul ter ad terram caput inclinantibus, Phialam
Regulus inclinatam loco sacrificij obtulit .
Ornata deinceps mensa coram feretro flori-
bus ex auro & argento intexto inspersis. De-

num

mum acerræ varijs generibus odoramentorum
repletæ , ac renovatus planctus productior :
donec dilatis in crastinum cæteris ritibus dis-
cederetur. Nec omittendum istud : quod mu-
tatis humeris funus ad collem deportatum sit .
Ab aula quippe ubi assumebatur , ad portam
usque palatij majorem detulerunt Regium ca-
daver Magnates. Hic exceptum Nobiles au-
lici extra portam atrij deportaverunt . Ibi-
démque consignârunt ijs , ad quos ex officio
spectat servire viventi , eumque , quâ iverit ,
comitari. Ante portas singulas præcipiūs
Regulorum , flexis ante tumbam genibus , vi-
num in phiala aurea repetendo offerebat ,
quod oblatum , manibus in altum elevatis ,
Tribunalis rituum Præses reacceptum sepone-
bat , simul unâ cum secuturis libaminibus po-
stea effundendum .

Postero manè , qui fuit vigesimus septimus à
die obitūs , ad funus iterum omnes convene-
runt , & quisque loco deputato consistens com-
munem luctū ac deplorationē renovavit. Po-
stea oblatione , ut heri , peractâ , diploma à Rege
filio datum laudes defuncti parentis continens
perleatum est. Proceres lamentatione replicatâ
in atriu reversi. Quatuor interea ex præcipi-
is Magnatum in velo expanso protulerunt ve-
stem defuncti Regis pelliccam martiarum pel-
lium , cum pileo , unionibus , & gemmis is-

vertice extantibus, confito: culcitram item ex ijsdem martis pellibus pulvinari substerni solitam: alij cum stragulis decem, totidem mutatorias vestes regias: alij detracta magna ex parte ab equis ephippia cum phaleris; vexilla cum flabellis, aureas item laminas hastis suffixas, ac sellam Regis gestatoriam advolverunt cumulo papyraceo, quod velum ex flavo serico obductum contegebat: Simul omnia suffusis ignibus injecta sunt: quibus additæ mensæ cum pannis holofericis decem millibus; aurea & argentea vasa: pretiosam planè supellecilem cineri ac terræ redditam, unde olim emerserat. Jam aurum argento mixtum in rivulos defluebat, cum cingula quoque ex panno albo circumligata renibus, de more luctū, Proceres dissolverunt, unāque in rogum conjecerunt imposterum à luctu liberi. Veste demum funebri eodem in loco positâ recesserunt.

Post triduum denuo reversi; sed primi dunt taxat ordinis Proceres, novum cum Tartaris cæteris, Chinensium exclusis, funus instruxerunt. Eædem per omnia ceremoniæ adhibitæ: ijdem cum umbellis viri, aliisque signis, equis etiam deductis, ac camelis adstiterunt. Magnates qui nuper, cœlo aperto protulerunt vestem Regiam cum pileo unico tantum, sed ingenti unione in vertice adornato; hanc grandi cum ejulatu in similem nupero-rogum, unā

cum

cum aliquot ephippijs per uniones ac lapillos
pretiosè distinctis, in ignem conjecterunt. Post
hæc suam quisque domum reversi. Ceremo-
niæ istæ in centesimum diem, post brevia in-
tervalla, sæpius repetuntur totâ urbe interim
à musica & ludicris feriante. Etiam post cen-
tesimum diem continuatur honor defuncto,
noctu diuque per vicissitudines excubantum
Tartarorum custoditur loculus, & dispositi per
distributa tempora sunt varijs in locis chori,
qui alternatim tubis, lituis, buccinis, aliisque
lietum cinctibus instrumentis triste carmen,
& ad lachrymas provocans, per sylvam o-
mnem totas noctes personent: neque hîc quo-
que terrarum desunt, qui disparibus tonis ab
ijsdem instrumentis musicis nunc convivas de-
lecent, nunc ad funera mœrorem concinne
moveant. Biennio exacto, postquam tempus
efferendi ad constitutum sepulchrum cadaveris
advenerit, more superioris Imperij (siquidem
vetera novis hospitibus placuerint) Mandarini
omnes, illud extra portam urbis pedites dedu-
cent. Ibi flexo poplite, solita cum inclinati-
one, Imperatori quondam suo supremum vale
dicent. Regressuri posthæc Chinenses ad pro-
pria, paucis qui eminentioris ordinis sunt, fu-
nus ultrâ concomitaturis. Tartari verò non
poterunt non ad usque locum sepulturæ depu-
tatum, Pequino viginti quatuor leucis dissitum,
Regio Mausolæo designatum prosequi.

Quid autem in hoc regio funere charissimi Principis P. Joannes Adamus? quis illi potissimum, ac singulariter sensus in luctu communis? Respondebo verbis, quæ ipse subscripsit: Ego verò inquit, luctum debeo Regi singulari; quia septendecim annis, quibus Imperio præfuit, singulari benevolentia, & amore constanter me complexus est; fecitque ad meam instantiam plurima toti Imperio utilia: fecissetque etiamnum plura, uti promiserat; nisi inopinata morte, viginti quatuor annorum florentissimus juvenis, perspicacitatis, & ingenij incredibilis, fuisset è medio sublatus.

Cæterum inconstantia humanorum affectuum illud documentum fuit, quod Regem istum, quem vivere non multò ante tædebat multos, nunc conversis studijs sui reliquo desiderio maximo defunctum, plurimi sint prosecuti.

Ex libellis supplicibus, quos magno numero ei quondam obtulerat P. Adamus, septuaginta selegit; in quibus consilia nonnulla suggesserat, partim jam executioni tradita; partim in aliud tempus dilata: eosque ad Gubernatores detulit, qui, quæ possent prodesse, excerpterent, unaque perspicerent, nō sine causa Europæum abs Rege dilectum, fotumque fuisse. Fuerit olim unum adolescentem sibi devincire promptius, quam disparis ingenij firmatæque æta-

tis

tis modò quatuor: nihilominus germana sinceritas etiam apud istos valuit. Acceperunt gratanter, quæ in medium pro incolumente Reipublicæ publica privatâque sanctè consulebantur. Addiderunt & illud: quod cùm in agnominé ac titulo, jam olim à Rege P. Joanni Adamo designato, litera quæpiam cum moderni Imperatoris nomine coincideret, postulassentque Pater, ne sinistri ominis hæc alterutri foret occasio; uti literam hanc alterâ permutarent: Ipsi illico in vota descenderunt, ac pro eo, quod per characteres sonabat nomen *penetrantem res cœlestes magistrum*, substituerunt literam quæ significet *penetrantem sublimissima quæc magistrum*: Reginâ matre, quæ etiamnum vivit ac favet unâ rebus Christianis, ac Patri literæ permutationem postea probante.

Restitutum quin etiam Patri per Regni Gubernatores Tribunal alterum mathematicum fuit, quod receptum intra palatum, anno superiore tradendum Eunuchis, ademerat Rex. Morem enim ille priscorum in Chinis Imperatorum prosecuturus, undique Eunuchos accirí fecerat, quos per numerum multiplicum Tribunalium dispergeret, præficeretque. Interius itaque illud mathematicum collegium, futurum cum Regia specula ad aures quotidias,

nas, ac manum Principis, uti penitiora quælibet Eunuchis attribuerat; ita tamen, ut illos præfides eorumque contribules P. Adamus, aut ejus discipuli in calculo Eclipsium, & observationibus astrorum, aliisque re astronomica edocerent. Præfecturam hanc nuper Mahometanus æmulus, & nunc sciolus quidam, qui differentiam meridianorum non advertens, cavillabatur Solis in signa Zodiaci ingressum disparem, quem in Ephemeridibus pro alijs atque alijs regionibus rectè assignatum pro errore magis erroneus ipse notaverat. Verum Gubernatores, cæterique tribunalium Proceres facilè ambitiosorum artes edocti, atque existimationi pridem tuto conceptæ insistentes, unum duntaxat Mathematum foris, atque in palatio esse Præfidei voluerunt.

Eunuchos à Rege nuper evocatos, & in palatium congestos; jámque supra sex mille recensitos, Gubernatores ijdem, depulsis ab aula quinque eorum millibus, in ordinem redegerunt: gentem videlicet non modo inutilem, sed & planè perniciosam. Propediem id ipsum facturos sese adversus Bonzios, Táu Sum & Táu Sum sacrificulorum quisquilias, professi sunt. Oderunt nimirum deprecations, ac ululatus immanes ac vanos istorum, quos ad cadavera personant. Item cœcas præstigias, quas spiritibus imponere & opponere nituntur.

tur. Pugnare hæc, inquiunt, cum Imperij
hujus fundatoribus, Avis, ac Proavis Regis
demortui, qui nunquam istic ritibus, nullo ra-
tionum præsidio fultis, sunt usi. Ita postquam
lucra deficiunt, quæ per has artes probrosissi-
mis hominibus affluunt, facile cum sectatoribus
suis seductores populi diminuentur. DEUS
faxit penitus exterminari.

C A P U T X X V.

*Elogia ac Privilegia ab Imperatore Chinensum
P. Joanni Adamo Schall, ejusque progenitoribus
Patri, Matri, Avo, & Aviæ, in pignus
Regiæ benevolentia collata.*

Pro P. Joanne Adamo Schall.

1. *Ex Cæli Mandato Diploma.*

Ego DEI gratiâ Imperator, pronuntio,
quod quoties probitate, & fidelitate Virum
conspicuum DEUS in mundum destinat,
toties quoq; providet de Rege, qui velit &
possit ejus operâ uti, eique gratificari. Nunc
ergo quò hoc comprobetur, cogitavi de nomi-
ne tali, quo Vir hujusmodi sentiat diligentiam
& fidelitatem suam laudari, séque illâ nobis
abunde satisfecisse lætetur.

Tu igitur TA CHAM SUM Tribunalis Præ-
ses Joannes Adame, à puero Mathematicas

346 *Initia Expeditionis Christ. ad Chinens.*

Scientias edocet, vastissima maria trajiciens
huc appulisti, & jam plurimis annis hic es
commoratus. Nos quoq; opportuno tempo-
re advenientes, de te audire, téque nosse po-
tuimus, inter alia admirantes studia tua Astro-
nomica, ut ea in lucem dares, Tribunali Ma-
thematico te vel invitum proposuimus, & tan-
dem hoc munere acceptato, cùm sàpissimè ea,
quæ calculo Astronomico prodideras, inve-
nissimus exactè Cœlo respondisse, imò Anti-
quorum Regulas non nisi paucissimas, & has
quidem sine rationum fundamento jejunas, &
incertas, te quoque ad multas, cásque rati-
onibus comprobatas extendisse, & hoc pacto
Scientiam tibi creditam dilatâsse, necessarium
duximus aliud tibi majoris honoris officium
conferre, illud nimirum Magni Tribunalis
TÁ CHAM fū in quo nunc primūm es constitu-
tus, ut hoc pacto studia tua magis excitemus,
téque ad ea nobis magis, magisque communi-
canda impellamus. Insuper etiam in famili-
arem nostrum te deligimus, & posthaç sincerâ
benevolentâ nos prosecuturos spondemus.
Sed cùm novum Regimen Imperij occasiōnem
nunc det omnibus congratulandi, nolim te
hujus communis lætitiae expertem esse: quin
potius me gaudente, te simul gaudere cupio.
Idcirco cum dignitate, titulum hunc TUM HY-
TAY fū (quod significat Magnum Virum experti
con-

consilij) post Magnates proximis dari solitum-
tibi impertior, idq; hoc scripto testatum volo.

Macte nunç beneficium hoc ex propinquuo,
nempe à tuis meritis cæptum paulatim ad alti-
orem gradum excrescit, quoque magis inge-
niū tuum, & eruditio te prodet, eo magis
præmia & dignitates augescent, præsentibus
beneficijs hoc solummodo exigimus, ut scien-
tiā, tuāmq; probitatem cum fidelitate, & præ-
claros mores quaquaversum explices.

Xùn Chy Imperatoris
Anno Imperij octavo.

2. Pro Parente P. Joannis Adami.

Ad Mandatum Cæli Diploma.

EGO Gratiâ DEI Imperator, juxta stylum Im-
perij edico, eos, qui aliquâ virtute aut ex-
cellentiâ sunt præditi, eam plerumq; à Parenti-
bus accepisse. Notum hoc toti mundo esse ar-
bitror; quare, qui filios vos bonorum Paren-
tum gloriāmini, procul dubio hoc quicquid est
famæ & boni Nominis, debetis in parentes
ipsos, à quibus scilicet accepistis, refundere.
Examinando nunç ea bona, quæ in te Adame
video à Patre tuo profecta, decet illum maxi-
mâ dignitate remunerari; hâc igitur occasi-
one hujus scilicet temporis noviter auspicati
Imperij titulum tuæ dignitatis ei decernendo

cxe-

exequendum duxi. Tu Henrice Joannis Adami Schall, Tà CHAM Sù, simul & Mathematici Tribunali Præfecti Parens, qui in eo, in quo habitas Regno, potuisti inter alios instruendis filijs eminere, adeptus es noinen ita clarum, ut nihil sit, de quo pœnitere possis, & verè ad perpetuam memoriam famam optimam stabilivisti: Cogitans nunc filij tui industriam, quā & tibi & Mihi non solum utilis fuit, sed hoc ipso famam tuam dilatavit, merito id in te laudo & miror pietatem tuam, ideoque Iubens impertior tibi titulum, *Raræ pietatis Viri*, cum officio Tà CHAM Sù, in hoc involucro eum tibi transmittendo. Euge nunc, docere filios cùm sit causa famæ dilatandæ, filius tuus cum hac ipsa famæ dilatatione totum se rebus nostris, & Regni curæ impendit. Idcirco non frustra hæc ad te dirigo, tuumq; animum pacificè quietum ævum transfigere opto, hîc filio, ibi vero tibi gratulando.

3. Pro Matre P. Joannis Adami.

Quodvis bene constitutum Imperium, sciens subditum aliquem de se benemeritū, studet omnib' modis originē ejus inquirere. Hæc mihi de vobis inquirendi causa ab obedientia filij vestri erga vos primū subministrata fuit; Vos Maria Schaiffart de Merode, Joan. Adami Schall

Tay

Taycham sū Tribunalis, & Mathematics Præfecti Mater, quia magnā curā processisti, non mirum postea secutum exteriū effectum: Natus quippe postea vestrā industriā inductus est, ut disceret, hōcque ipsum plus ei contulit ad consequendum studiorum finem, quā labor ab ipso meti assumptus, ideoque non sine causa decet vos ejus loco remunerari titulo aliquo, ut virtus vestra omnibus innotescat. Nunc ergo ob renovatum Imperij nostri tenorem, vestramque domesticam disciplinam, quā mediante eum à teneris unguiculis imbuisti, non satis laudatam: Decerno titulum, qui sit *Inclitae Sanctitatis Matrone*. Euge: nunc filius memor semper hujus virtuosi ad scientias incitamenti, gratulatur fibi de matris filium ducentis industria, quā eum à puero educavit eique nunc reddit pro meritis obsequium hoc, quod juxta morem Imperij nostri largiri non digneamur, maximē quod talem filium nobis concessisti ad Regni totius decorem, quo laudes tuæ in multa fæcula deprædicentur, dicentque omnes tali te virtute præditam matrem fuisse.

Xùn chy pa niēn, pa yue.

Pro

4. Pro Avo P. Joannis Adami.
Ad Mandatum Cæli Diploma.

Ex DEI gratia Imperator beneficentiam
meam ad te etiam in Occidente usque
secundum Leges Imperij extendendam
esse reor: dum enim te in Nepote considero,
intelligo te Contemporaneis tuis virtute longe
prævisse, id est hujus, quicquid est beneficij,
causam dedisse: nunc igitur originem hanc at-
tentiūs inspiciens, non possum non extollere
te, Tu enim Joannes Schall, Joannis Adami
Schall Tribunalis Tà CHAM sū Præsidis, & si-
mul Mathematicorum Magistri avus, nobilita-
tem quasi in radice tutò servatam, ad posteros
tuos in filio & nepotibus transmissam, imò
magis dilatatam reliquisti; Unde decet me be-
neficio aliquo vicem reddere, quo omnes rem
ita se habere, ut dixi, intelligent, hoc autem
aptiūs non reperio, quām ut te eodem titulo
taycham sū, hoc est, Tribunalis hujus magnū
Præsidem, & tertij ordinis in Imperio Man-
darinum appellem. Euge num virtus & nobi-
litas, cùm ex te ad nepotes pervenerit, non
possum non laudare, & quòd in nepotibus re-
splendeat, unde tota posteritas participet, non
possum non gaudere, & idcirco hoc tibi cum
novo titulo novum encomium transmitto.

s. Pro

5. Pro Avia P. Joannis Adami.

Cum de Republica benemeriti debeant honorari, quo Posteri corum exemplo excitentur, & vivi virtutes extollant, eosque ex operibus considerantes proponant sibi imitandos, Nos similiter hoc beneficium Nepotis Virtuti debitum ad te duximus preferendum, tu enim Wolfia Joannis Adami Schall *Ta Cham Sū Præsidis*, & simul Mathematicen procurantis Avia, virtute pariter, & Magnificis actionibus in domo tua insignis, ita merita es: tales enim nepotes tuos Ego considerans, ad Imperij Regimen promovendum aptissimos, clarè video, à te tanquam à radice hoc derivatum, tuisque monitis obtemperantes eò pervenisse; Hinc meritò laudamus te, tanquam extraordinariæ virtutis fœminam, hōcque notum fieri omnibus cupientes, occasione felicitatis Imperij nostri, cuius habenas ipse adhuc adolescens nunc primū accipio, te *Raræ Virtutis Matronā* appellari decerno. Euge nunc, dum recognito domesticos tuos mores, intelligo te in educatione filiorum adeò diligenter ac solicitam fuisse, ut effectus ad Posterorum se extenderit, & per eos ad hos Imperij limites deductus sit, & spero, ex hoc imposterum non defuturos, qui inde ad nos transeant: Nos quidem multū, sed nondū satis hanc tuam virtutem

352 *Initia Expedit. Christianæ ad Chinens.*
tem suspicimus , optaremusq; locum aptum
habere , ubi te incenso suffitu, pro meritis sem-
per possemus honorare.

Elogia hæc accepit P. Joannes Adamus, dum
esset de tertio ordine dignitatis Mandarino-
rum. Postea , ubi ad primum gradum maxi-
mæ dignitatis assumptus fuit , additi sunt elo-
gijs tituli , quos Magnatibns elargiri Rex con-
suevit , eosque ad Parentes , Avos , Proavos ,
& Abavos extendit.

Nova diplomata in Europam hisce trans-
mitti non potuerunt nondum expedi-
ta , quia non urserat Pater. Cæ-
terum vigorem jam ha-
bent & effectus.



im-
em-
dum
ino-
axi-
elo-
on-
vos,
ns-

COMPENDIOSA NARRATIO.

DE

STATU MIS- SIONIS CHI- NENSIS.

Ab anno 1581. usque ad
Annum 1669.

Oblata

Eminentissimis DD. Cardinalibus
Sacrae Congregationis de propa-
ganda Fide.

A. R. P. PROSPERO INTORCETTA
SOCIETATIS IESU Sacerdote, & Procura-
tore V - Provinciae Chinensis.

Anno 1671. 14. Aprilis,
Romæ.

Permissu Superiorum.



Eminentissimi Domini.

X Chinâ venio , ultimâ Asiæ parte , missus Procurator à Patribus Societatis JESU , ut im- præsentiarum provolutus o- mnium nomine ad pedes Emi- nentiarum Vestrarum , certi- ores Easdem reddam de summâ veneratione & affectu , quo tota illa Communitas Sacram hanc Congregationem prosequitur ; simûlq; paucis his lineis statum amplissimæ illius Mis- sionis in Compendio describam , quò tanquam Patres ac Propagatores sanctæ nostræ Fidei , eandem porro paternâ curâ amoreq; protege- re dignentur .

Est hæc Missio dives laborum , ob spatioum qvindecim Provinciarum seu Regnorum cam- pum ; nec minùs fertilis , ut in ijsdem Christi- anæ Religionis saluberrimus fructus vsq; ad maturationem succrescat: inops tamen tempo- ralibus bonis , & sine fundatione alicujus Col- legij , ut plurimum ex Eleemosynis vicitans , ab Europæis Chinensi Regno vicinioribus cor-

rogatis. Neq; enim fas nobis est vietum à Chinensibus mendicare , ut quām longissimē suspicionem declinemus , quasi illorum Bonzijs similes essemus , aut nostra doctrina æquē, ac illorum sit mendax : Hi enim pauperes , & otiosi in patriā , Provincias mendicando pererrant perditī Hypocritæ ; sīcq; novis Religio- nis figmentis populo illudunt, ut ventrem re- pleant. *Quorum DEUS venter est.*

Hāc ergo intentione ab omni mundano e- molumento longissimē remotā , jam inde ab anno 1581. qvo à Patribus Societatis, Michaeli Rogerio, Francisco Patio, & Matthæo Riccio Italis Missio Chinensis fundata est , laboratum semper fuit , & etiamnum laboratur à Po- steris in hoc agro Christi , ad colligendam fi- delium messem: Et primis quidem annis lento, sed maturo passu , eò quod China tam civilibus vitijs , quām superstitionibus plena esset , no- strīq; Patres cā in regione peregrini ; (unde viginti minimum annorum spatio indigebant, tum ad linguam perfectè addiscendam , tum li- bris evolvendis , quò Civiles ritus à supersti- tiosis , usumq; ab abusu discernerent.) At- verò , postquam in plano semel pedem fixe- runt , ingens semper augmentum lumpsit Chi- nensium Conversio; ita, ut ab anno 1681. usq; ad annum 1650. Patres Societatis centum & quinquaginta Christianorum millia sub Christi

Vc-

Vexillo numeraverint, & ab anno 1650. ad annum 1667. centum rursus & quatuor millia, nongentos, octoginta: quibus si accenseas mille & nono gentos à nostris in Insula HAI-NAN ab anno 1656. ad annum 1664. baptizatos; & deniq; tria denuo millia & quingentos baptizatos à R. R. P. P. Franciscanis ab anno 1633. primo sui ingressus in Chinas, usq; ad annum 1668. contractus in unum numerus baptizatorum in China, ad trecenta & octo millia, septingentos & octoginta ascendet. Neq; huic numero includo tinctos sacro fonte à P. P. Dominicanis ab anno 1631. ingressus sui primo, ad usq; annum 1650. eò quod numerum ignorem. Non præteribo tamen numerum Residentiarum, Templorumq; seu Ecclesiarum à Missionarijs & Christianis in hoc vastissimo Chinarum Imperio D e o dedicatarum: Habent P. P. Dominicani Ecclesias 21. Residentias 2. P. P. Franciscani Ecclesias tres, Residentiam unam. P. P. Societatis Ecclesias 159. Residentias 38. Non recenseo hic Oratoria privata, quæ sunt sine numero, sed solùm Ecclesias omnibus communes.

Porro Status nostræ Missionis sub annis Imperij Chinensis utcunq; diversus fuit ab eo, qui nunc est sub moderno Tartarorum Imperio, qui hodiéq; omnibus Chinæ Provincijs dominantur, nec ideo minus Tartariam suam gu-

Z 3 ber-

bernant: Quippe Chinensibus clavum adhuc moderantibus, non solum missionarijs occulte intrandum fuit, sed ut plurimum etiam non nisi clam licebat ijs per Sacra menta, functionesq; Apostolicas hunc Christi agrum excolere, ut cum pace & quiete salutiferum fructum animarum conversionis colligere possent. Et licet Anno 1638. occulta hæc quies turbari cœperit per repentinam persecutionem in quintum usq; annum protractam (quæ tamen sanctè pie que declinari poterat nisi indiscretus obstitisset Zelus, & modica quorundam Missionariorum experientia, recens in Chinam per Philippinas intrantium) non tamen ultra processit Furor, sed solo indiscretorum exilio contentus, Chinensium Conversioni pristinum reliquit progressum.

Translato dein sub annum 1643. ad orientalem Tartarum, XÚN CHÌ dictum, Chinensium Imperio, Fidei etiam Propagatio ex occulto in apricum vindicata est. Cùm enim P. Joannes Adamus Schall ex Societate JESU, huic Imperatori apprimè esset charus, & ab eo non solum ad Præfecturam Tribunalis Mathematicæ in ipsa Pequini Aulâ evectus, sed multis etiam primarijs Regni Titulis condecoratus, facili insuper potestate, Conclave Regum pro arbitrio intrandi, tum ad salutandum Imperatorem, tum ad monendum, suggestumq;

dumq; quidquid ad Justitiæ , & rectæ Guber-
nationis augmentum conducere judicaret; Nos
quoq; Missionarij reliqui , per varias sparsæ
Provincias, à Civitatum Gubernatoribus con-
simili sumus benevolentia excepti , consimili
æstimatione honoréq; ornati : Christiani a-
manter habitu ; Ecclesiæ Domusq; nostræ à lit-
teratis, etiam Paganis frequentatæ ; editi à no-
bis Chinensi lingua libri cum desiderio expe-
titi ; (Soli enim Societatis Patres de Religione
Christianâ 131. libros edidere ; Physicos verò
Moralésq; 55. ac demum Mathematicos cen-
tum & suprà typis vulgârunt ; P. P. Domini-
cani tria de Christianâ Religione volumina ,
Pater etiam ex Franciscanâ Familia librum e-
didit vnum tribus tomis distinctum) aperta-
templa , & ab omnibus honorificè culta : Ce-
lebrati magnâ cum pompâ Festi per annum Di-
es solenniores , exstructæ novæ , ac sumptu-
osæ Ecclesiarum fabricæ ; verbo , Fides Chri-
stiana felicissimis progressibus ad Boæziorum
Orciq; invidiam propagata .

Cum ecce post XUN-CHI Benevolentissimi
Imperatoris mortem , quæ anno 1664. Se-
ptembri mense secuta est , mutatâ repente sce-
nâ prodijt in campum dirus Satanæ Minister
Yam-quam-sien appellatus : Is , quum Dia-
bolicis Chinensium sectis ceu author Fautórq;
præsideret , scriptam adversus Apostolicos vi-

ros Tabellam (Memoriale vocant) simûlque plenum in divinam Legem blasphemis librum ad quatuor Imperij Gubernatorum Tribunal detulit. Tartari hi erant omnes, à Defuncto XÚN-CHÍ Protectores nominati Infantis C A M HÍ, Filij secundò geniti, ac Imperij Hæredis.

Summa Memorialis fuit: quòd moliremur rebellionem, quòd legem prædicaremus falsam, cuius Caput sit Crucifixus, mortuus in medio duorum Latronum; quòd erraremus in regulis Mathematicæ Europeæ, per quam antiquissimam Chinensium Mathematicam obscurare, Domumq; Regiam destruere conaremur. Susceptum est Memoriale à quatuor Gubernatoribus simulato vultu, & accusatori in speciem subiracente, licet dum & reipsa, iniquissimas ejus accusationes, & molitiones diaboliças omni favore promoverent, quippe jam priùs tum ipsi, tum reliqua etiam Tribunalia amplissimis donis, & magnâ argenti summa corrupti, quam à sectariis per omnes Provincias industria accusatoris collegerat, non alio fine, quam ad Legem Christianam cum omnibus asseclis funditus abolendam. Ventilatur causa per Tribunalia complura, & in his Veritas & Innocentia magnopere proculcatur: Comprehenduntur interim quatuor Societatis Patres, qui in duabus Aulæ Ecclesijs diversabantur, singulifq; catenis novem, hoc est

est ad collum, brachia, pedesq; ternis ligantur. Ita vinciti arctissimâ custodiâ duorum mensium spatio tenentur, & ex carceribus ad Tribunalia, ab his item ad carceres in singulos propè dies raptantur. Durârunt Examina ultra semestre, reposita à Patribus conformia semper & intrepida responsa; & quamvis adversarij manifestæ calumniæ fuerint convicti, nihilominus, partim tacitâ Judicium dissimulatione, partim declinatis ad alia sermonibus semper triumphavit Iniquitas. Fulminatur itaq; acerbissimæ mortis Decretum adversus Patrem Joannem Adamum, ceu reliquum Antesignanum, & Fautorem Primarium Christianæ Legis, quæ à quatuor Imperij Gubernatoribus, latâ pro Tribunal sententiâ, pro Falsâ est condemnata: quam tamen Sententiam, Doctiores è Chinensibus, & in nostrorum librorum periti negârunt in Aulâ Chinensi ferrari potuisse ab alijs, quam à bestialibus Tartaris; lata etiam adversus alios omnes virgarum exiliq; sententia, & Locus exilij Tartaria assignata. Mittitur confestim Edictum Regium, ad omnium Provinciarum Rectores, ut Patres Europæi omnes, per Imperij vrbes Terrâsq; diligentissimè conquisiti, ad Aulam securè ducantur; comburantur Doctrinæ Christianæ libri, aliíq; similes, jubentur tradere Christiani, quas colunt, Imagines; ipsi tamen com-

Z s

pre-

prehensi non sunt, nec sublatæ etiam Imagines publicè in Ecclesijs expositæ, sed Templo clausa, & alijs custodienda tradita.

Mandatum est Executioni Decretum per omnes Provincias, sed rigore plurimū inæquali, pro majore scilicet, aut minore Præfectorum in nos, nostrāmq; Legem affectu, qui maximè in executione eluxit. Pars major, Patrum, per Provincias sparsorum comprehensi, & per aliquot menses in carceres conjecti, indéq; ad Aulam stipante militum manu deducti: alij collo catenis inserto, alij liberi; multis libri omnes tum Europæi, tum Chinenſes combusti, aliquibus servati intacti. Quarundam Ecclesiarum, cùm clauderentur, claves Christianis traditæ, aliæ militibus, vel Tribunalium ministris pro habitatione relictæ: in aliquibus vrbibus afflicti Christiani, sublati è templis imaginibus sacris, rebūsq; nostris divenditis, non item in alijs.

Sub hâc tum Inquisitionis, tum Executionis per Imperij vrbes varietate, omnipotentia divina ad Innocentiæ tutelam, suæq; sanctissimæ Legis gloriam, iteratis horrendis terræ motibus, aliis q; prodigijs Aulam Pequinianam adeò conterruit, ut Tribunalium Præfectos cogeret mutatæ mortis, virgarum, exiliique sen-

sententiâ , Nostros his malis jam destinatos , liberare repente ex ærumnoso carcere , & in alteram ex Aulæ Ecclesijs transferre. Licer autem fatalis fententiæ furor vtcunque sit mitigatus, clamante præsertim populo Pequiniano : Magnum esse Christianorum DEUM , qui ad vindicandam suorum Innocentiam Cœli terræq; vires in eorum hostes vibraverit ; nihilomin' indurata accusatoris *Yām-quām-sien* malitia correcta non est ; quin imo traditis semper novis accusationum libellis , monebat Tribunalia , ne imperitæ plebis clamoribus attenderent , sed potius debito suppicio prosequerentur abolitionem Legis falsæ , ejusque Prædicatorum , ac Mathematicæ præsertim peregrinæ , quæ mortis Filioli Principis Primogeniti , omniūque Regni calamitatum causa fuisset .

Eò denique processit Iniquitas , ut de Christianis Chinensibus quinque , ijdémque literati , & Tribunalis Mathematicæ Præfeci , eōq; P. Joanni Adamo subordinati , capite plexi fuerint ; Neq; hoc Innocentum Christi Agnorum sanguine emollitum est Hydræ hujus infernalis adamantinum pectus , quin semper avi- dius Europæorum præcipue , ceu Primatorum Christianæ Fidei Ministrorum sanguinem

nem sitiret. Quam in rem in vltimis suis Memorialibus, cùm jam omnes ex Provincijs ad Aulam deducti, vnúmq; in locum compacti essemus, adduxit pro exemplo Philippinas ab Hispanis, industriâ Prædicatorum nobis similium, & ejusdem nobiscum Legis, subjugatas; Exemplum item Insulæ Japonis, vbi Sacerdotum extraneorum, & Christianorum Japonum ingens numerus occisus, non aliam, vti dicebat, ob causam, quām quod detecta fuerit Conjuratio adversus illud Imperium, quod proinde Sacerdotibus Europæis in æviternum citra reclusionis spem fit obseratum. Hujusmodi exempla complura Tartaris exhibita, alium contra nos, quæ DEI Bonitas fuit, effectum fortita non sunt, quām ut 25. Sacerdotes in vltimam Australem Provinciam, Cantonem vocant, destinatum scilicet exilio locum ablegarentur, quatuor solum Societatis Patribus in aula & ejusdem orientali Ecclesiâ relictis, additis tamen ad portas custodibus, & prohibitâ Christianarum functionum administratione.

Discessimus ex Aula 25 Patres. 13. Septembris, Anni 1665. militum globo stipati; neq; Navigatio nostra, quam secundo flumine instituimus, multum molestiæ habuit: Deducti enim suimus Navibus Honorarijs per amplis, &

Re-

Regiorum Praefectorum proprijs. Post sex menses Navigationi insumptos, ad exilij locum appulimus, ubi rursus adjuncti ad portam custodes & Evangelica munia interdicta; non tamen eo rigore tractarunt nos milites, ut non liberè foras egredi, ad juvandos in Spiritu Christianos liceret, (dummodo sub noctem domum rediremus) neq; ut ad aram facere, admissis etiam Christianorum permultis, prohiberemur. Dum h̄c moramur, nullo interim indicio investigare potuimus, quid demum de nobis statueret Tartarus; mortemne, an totalem ē Chinā egressum, an Carceres perennes, Exiliūmve moliretur: tanto magis, quod Criminaciones Inimici nondum erant Pequini finitæ; siquidem post nostrū discessum impetravit illico à 4. Gubernatoribus, ut vna Ecclesiarum Pequini, orientalis scilicet, disloveretur, altera verò traderetur eidem, ut cam in speculam seu Turrem verteret, ad stellas observandas.

In hâc Eventuum ambiguitate, opportunissimum nobis tempus relictum est, examinandi non sine fructu, libros, ritus, usq; ac consuetudines nostræ Missionis, per quadraginta & plures Conferentiarum dies: eum in finem, ut in futurum omnes, easdem praxes, modosq;, nec non Doctrinæ Conformatatem, & Charitatis Unionem intra variorum Ordinum Reli-

Religiosos observaremus; DEO præsertim, non sine speciali Divinæ suæ Providentiæ consilio, uno nos loco congregante, & aptissimum huic negotio tempus suppeditante.

Porro Nobis exilio damnatis, dissolutâ item Aulæ Ecclesiâ, ac demum P. Joanne Adamo in eâdem Aulâ, solis ærumnis & Persecutionis doloribus, quibus ipse, licet senio annisque, præ quam ceteri, gravis, multò violentius premebatur, confecto, ac mortuo; ipsa etiam Elementa condoluere, monstratis certatim Iræ Divinæ signis, & toti jam Chinæ exitium minitantia, ad vindicandas Injurias, Innocentiæ, & Catholicæ Religionis Veritati illatas. Non h̄c referam Elementorum furores, aut prodigia de cœlo secuta, nec Persecutionis præludia, qualia per totum tempus, quo illa duravit, distinctâ & accuratâ relatione perscribit, & ad Eminentias Vestras transmittit (vide infra) R.P.F.Dominicus Maria Sarpetri ex sacro Prædicatorum Ordine Missionarius in China, & Operarius optimus.

Recensebo tamen breviter Extinctæ jam Persecutionis præludia, & de Patrum Exulum ad suas Ecclesias restituzione lætissima nova.

Post

Post meum è Chinâ discessum Tres Societatis Patres , Gabriel Magalhanes , Ludovicus Buglio , & Ferdinandus Verbiest, qvi jam primò in Aulâ substiterant, miserunt Relationem, scriptam Pequini , sub die 2. Januarij 1669. quâ certiores nos reddunt, se pariter omnes restitutos in gratiam Tartari Imperatoris *Cám-hì*, qui Possessionem Imperij jam occupaverit sub annum ætatis 14. Tum deinde, quòd ob complures & manifestos errores, quos adversarius noster *Tám-quám-sien* in Mathematicæ Calculis commisit, status ille revocatus ad Examen fuerit, in quo , præsente Cám-hì Imperatore , & aulicis Tribunalibus , à P. Ferdinando Verbiest ignorantiae sit convictus, ademptaque eidem Mathematicæ Præfectura , prænominato Patri Verbiest eodem prorsus modo fuerit demandata , quo ab Imperatore Xùn-chì consignata erat P. Joanni Adamo Schall; quemadmodum etiam ex alijs literis Macao mense Septembri ejusdem anni scriptis intelleximus. Est hòc evidens præludium alterius scenæ mutationis , pro Missione Chinensi admodum gloriosæ. Imò de facto mihi dubium non est , Patres illos omnes , quos Cantone in exilio reliqui , Ecclesijs suis jam esse restitutos , & quidem cum gaudio universalis , non solùm Christianorum ijs in parti-

partibus, sed Chinæ totius, solis Bonzijs corūmq; Sectarijs exceptis; siquidem Innocentia sanctissimæ nostræ Legis toti Chinæ fuit notissima, & perinde pristina nostra libertas ab omnibus desiderata.

Dico itaq; , ad consummandum Christiani illius Gregis Patrūmq; Missionariorum perfectum gaudium nihil porro deesse, quām plurimorum Operariorum subsidium, tum ad complendas & animandas Ecclesias etiamnum vacuas, tum ad messem quām plurimam colligendam, quæ pro Cœlesti Granario jam matura offertur. Sentio quidem, pro hoc Chinensi agro duo Operariorum millia neutiquam sufficere, desidero tamen solos minimum quadraginta, quos mecum in Chinam deducam, & inter paucos illos Patres (senes jam & laboribus oppressos) ad addiscendam Linguam dispartiam, ut cā paucos per annos exactè comprehensā, & Chinensium literarum effecti Magistri, possint & ipsi docere posteros, sīcq; suavissimā continuatione sanctissimam nostram Fidem in literarijs illis Chinæ campis propagent. Me quidem (fateor) ad hunc effectum vires deficiunt, siquidem, ut initio insinuavi, Missio hæc Fundatorem non habet, vivitq; ex Eleemosynis ab Europæis collectis: Non deficiunt tamen assiduæ preces, & lamentabi-

tabilia Militantis Ecclesiæ Chinensis suspiria,
ad permovendam Clementiam Divinam , ac
Fidelium pietatem , ut liberaliter concurrant
ad promotionem Operis , in se tam sancti , &
ad Chinensium Conversionem tam necessarij ,
& denique pro DEI Honore tam gloriosi.

Atque hic est , Eminentissimi Domini , ab
integro propè seculo Chinensis Ecclesiæ status ,
descriptus à me hoc brevi Compendio , quod
ego hodie Eminentiarum Vestrarum pedibus
humillimè substerno , nec aliud laboribus meis
præmium expeto , quam ut ab Eisdem clemen-
tissimè acceptetur , id quod pro lucro simul &
solatio reputabo.

E. E. V. V.

*Indignissimus & Humillimus Servus
in Domino*

PROSPER INTORGETTA.

Aa

CA-

CATALOGUS 30. SACERDOTUM.

*Qui in hac Persecutione traditi sunt Judicibus
in Aula Pequini.*

Ex SOCIETATE JESU.

- P. Joannes Adamus Schall. Germanus.
mortuus Pequini tempore Persecutionis,
& Examini.
- P. Antonius di Govea. Lusitanus.
- P. Petrus Canevari. Genuensis.
- P. Ignatius di Costa. Lusitanus. mortuus
in exilio.
- P. Michaël Trigaultius. Belga. mortuus
in exilio.
- P. Franciscus Ferrari. Pedemontanus.
- P. Antonius Lubilli. Lucensis.
- P. Jacobus La Faure. Gallus.
- P. Franciscus Brancato. Siculus.
- P. Ludovicus Buglio. Siculus.
- P. Gabriel Magaglianes. Lusitanus.
- P. Stanislaus Torrente. Orvietanus.
- P. Felicianus Pacieco. Lusitanus.
- P. Joan. Dominicus Gabiani. Pedemontanus.
- P. Joannes Valat. Gallus. (nus.)
- P. Emmanuel Georgius. Lusitanus.
- P. Vmbertus Augeri. Gallus.

P. Clau-

- P. Claudius Motel. Gallus.
P. Jacobus Motel. Gallus.
P. Philippus Couplet. Belga.
P. Ferdinandus Verbiest. Belga.
P. Franciscus Rougemont. Belga.
P. Christianus Herdrich. Austriacus.
P. Adrianus Grelin. Gallus.
P. Prosper Intorcetta. Siculus.

Ex Sacro Ordine S. Dominici.

- P. F. Dominicus Coronado. Hispanus.
mortuus Pequini tempore Perse-
cutionis & Examini.
P. F. Dominicus Navarrese. Hispanus.
P. F. Dominicus Maria Sarpetri. Siculus.
P. F. Philippus Leonardus. Valentinianus.

Ex Sacro Ordine S. Francisci.

- P. F. Antonius de Sancta Maria. mortuus
in exilio.

Aa 2 Cata-

Catalogus

Prodigiorum apud Sinas, regnanti-
bus Tartaris. Forum Præludia &
progressus in ultima Persecutione.

I.

Nono die Augusti anno 1658. Feriâ sex-
tâ in Provincia Xantûm in metropoli,
quam dicunt *Gi-nan-fu*, duobus tem-
plis ornatâ, ex quibus unum Patrum Societa-
tis JESV, alterum Patrum Franciscanorum,
secundâ noctis horâ crux candida in cœlo ap-
paruit cum sua base; aliquot horis duravit,
figurâ nihil imminutâ, visa à multis cùm Chri-
stianis, tum Ethnicis.

II.

Anno 1660. die 22. sept: in Provincia Nan-
qvinensi versùs occasum sub primam auroræ
lucem, visa est magna, & multi luminis stella:
sub cujus primum exortum audita sunt in cœlo
duo tonitrua quasi duorum tormentorum cu-
rulum. Stella hæc major trahebat secum ma-
gnum minorum sparsarum numerum, quæ for-
mabant stellam caudatam. In exortu earum pa-
riter auditu fuere bombi unius vel plurium
bombardarum, cum simul festivè explodun-
tur. Hæc stella caudata visa est aliquam multo

tem-

tempore versùs ortum ambulare , deniq; in-
luce solis desita videri.

III.

Anno 1664. Bonzijs & idolorum mystis per Provincias sparsis, ad colligendum argentum, quo Magistratus palatij corrumperentur, & constringerentur ad Christianum nomen funditus delendum, cùm in ipsa aula impium decretum adversus Deum ejusq; sanctissimam Legem cuderetur, die 22. Julij iratum mare intumuit, seseque campis Provinciarum Pequini, & Xantùm ad 80000. passuum superfudit, submersis Ethnicis quām plurimis, de Christianis ne uno quidem desiderato, qui parœcias quinque ab aqua violatas obtinebant.

IV.

Hoc ipso anno, divulgato Pequini, pérque cæteras Provincias blasphemiarum pleno libro contra mysteria vitæ Christi, ejusque Matris Virginis Immaculatam Conceptionem, & contra Ministros Evangelicos vñiversos, die 23. Sept. Sub illud ipsum temporis punctum, cùm Patres Societatis JESV vigore diabolici libelli, à *Tamquansienio* tribunalibus oblati, qui morabantur in aulâ, caperentur; rursus mare ruptis aggeribus se in continentem effudit fragore terrifico, inaudito fremitu, gressu longè citatiore, quām antea. Occupavit de terra habitabili ad leucas centum. Hæc altera

A a 3

inun-

inundatio pessimè accepit regiones quatuor Provinciarum Pequini, Xantum, Nanquini, & Che-Kiang strage innumerabilium Ethnicorum.

V.

Ilo ipso anno 1664. ipsissimo tempore, quo processus instituebantur adversus legem DEI, quando Patres Societatis JESV compingebantur in ergastula, novem catenis onerabantur, jam argento omni & auro, pretio nostræ condemnationis ærarijs illato, in Provincijs Septentrioni subjectis, die 13. Novemb. feralè rubore cœpit ille cometes, cujus stellæ erat ignea, crinium color cinereus. In Provincijs tamen Australibus observatus fuit mense Decembri, astra circumactus usq; ad finem Januarij sequentis anni 1665.

VI.

Anno 1665. promulgatō jam decretō Regis, ut omnes Sacerdotes comprehendenderentur, & adducerentur in aulam, quotquot Evangelium prædicarent per fines Imperij, jam latâ pœnissimâ mortis sententiâ in caput Joannis Adami Schall, & in nos ejus Socios ut 40. omnino ictus præduro robore inflictedos exciperemus, atq; insuper in exilium in Tartariam desertam, *Nin-co-tâ* ejiceremur, 16. Aprilis sub meridiem, cā ipsâ horâ, quâ Regina Avia funestam nostræ damnationis sententiam manu ad

Im-

Imperatorem nepotulum tulit , illo ipso momento , ut ajunt Evnuchi , qui erant præsentes , cœpit concuti tellus tremore usq; adeò terribili , ut mœnia Pequini plùs centenis locis ruanam egerint , multa ædificia corruerint , vento ex terra prævalido excitatō , qui nube pulvрulentā solem obtexerit , Regina cum nepotulo confestim in atrium devolārit , cur terra moveret , non planè inscia ; In illo namque præcipiti descensu uterq; inclamavit , pœnam illam à cœlo immitti propter injurias , quæ innocentibus inferrentur . Quam ob rem generale fecere indultum , ut , paucis exceptis casibus , liberi emitterentur omnes , atque adeò etiam innocentes è carcere ; at verò planè contrarium evénit , ut mox dicetur .

VII.

Decimo nono Aprilis ejusdem anni publicato generali indulto ergastuli , exempti sunt omnes malefici , & quorumcunque criminum rei : de liberandis Patribus innocentibus actum nihil . Opponebatur illis , incurrisse casum reservatum Rebellionis , qui sit exceptus in indulto . Sub horam itaque 23. cum illi soli perstarent in vinculis attenti , cū pauculis mathematicis Christianis , movit iteratō tellus horribiliori , quam antea , sed non ita diuturna concussione .

Cujus metu Rex consternatus præcepit Tri-
A a 4 buna-

bunalibus, ut indultū aliquantū extenderent. Quo tempore iterum Gubernatoribus Imperij novus porrectus libellus est ab uno Judicū, ut tandem statueretur, quid agendum denique esset de Sacerdotibus Europæis in vincula conjectis? Responsum, P. Joānem Adamum Schall unacum mathematicis Mandarinis, ejus discipulis, diligenter custodiendum videri, reliquos tres Patres liberos domos suas dimitto-
dos: quod sequenti die factum.

VIII.

Interim cūm solus Pater Joannes Adamus Schall attineretur in carcere, catenis oneratus, & Regia festivos appararet ludos agendo natali parvuli Regis CAM-HI: coortum est improvīsum in aula incendium, quo decumanum conclave, aularum principi, & alijs con-
cerationibus annexum deflagravit: pretiosa quæque cymelia absque ulla ope, quæ celerari potuerit, absunta. Prodigio simile fuit, incendij causam non potuisse resciri. Ajebant non pauci, vidisse se globum igneum de cœlo delabi supra palatium. Populus communi ore vindictam interpretatus est, quam Christianorum DEUS de injurijs, innoxio Adamo ejusque Socijs illatis sumere decreverit. Denique clamoribus vociferantis populi, & irati metu cœli compulsi, 18. Maij vinculis exemerunt Magistratus Patrem Joannem Adamum, sed

in.

in vicem crudeliter ferro peremerunt quinque mathematicæ rei Præfetos, Christianos omnes.

IX.

Illo ipso anno 1665. cùm jam omnes Patres è suis Provincijs & Ecclesiis evocati fuissent, & ab armato milite tribunalibus oblati, ab his autem Patri Ludovico Buglio peramico Tartaris, & eorum linguae peritissimo in custodiam ac fidem contraditi in Provincia *Xan-tùm* Pequino conterminâ, maxima hominum multitudine fame perijt, ortâ ex incredibili campo- rum sterilitate, arboribus cortice & foliorum honore privatis, & à frequentia transmigrantium populorum devoratis. Neque tamen hæc tanta vexatio aulæ intellectum plenum dedit, ut agnosceret, hæc mala tam gravia, esse duntaxat præludia secuturæ tragœdiæ, quæ toti impendéret Imperio ob necdum liberatos innocentes. Imò ultrà progressa improbitas, terræ motibus & incendijs, habitis quasi levioribus iræ divinæ, neque satis validis indicijs, rapinam sacrarum imaginum fecit, templo clausit, Patres suis ipsorum dominibus inclusos, custodiendos mandavit apposito milite, Sacra fieri prohibuit, Apostolicas functiones omnes interdixit, viginti quinque Sacerdotes in exilium egit, templum nostrum Orientale Pequinii æquavit solo, P. Joannem

Ada-

Adamum Schall continuis querelis oneravit, nihil aliud in his omnibus querendo, quam ut octogenario seni & ægrotanti mors acceleretur, ærumnarum mole, inclementi ab uno ad aliud tribunal raptatione, crebris genuflexionibus tantum non exhausto & oppresso.

X.

Sed hæc inter divinæ justitiæ prodigia jure merito prætermitti non debet à DEO inflata. pœna Gubernatorum quarto, quem *Sucamam* dixerunt, ortu vili, sensu & intelligentiâ primo, simulatione Patribus peramicō, sed reverâ nostri sæculi Ammano, Christiani populi hosti, & sententiæ impiæ adversùs sanctam Legem, & innocentem Mardochæum, Joānem Adamum latæ, Authori. Contigit ea 4. Septemb. an 1666. in regia Pequinensi undecim diebus, postquam *Cam-hi* annos natus 14. possessionem Imperij adiit. *Sucamam* dives erat juxta ac potens, Gubernator Regni aliquam multo tempore, sed postea exauctioratus, cùm timeret, ne aggestis per nefas opibus excideret, consilium cepit subducendi se se ex aula, specie pietatis. Duobus namque diebus post, quam *Cam-hi* Imperij habenas suscepit, libellum supplicem Regis Senatui per suum filium natu maximum porrexit: id, quod ipsémet non posse se excusabat, quod octo mensium para-

paralyſi compeditus torqueretur. Libellus hic dicebat, Dominum suum magnopere flagitare, facultatem fibi fieri adeundi sepulchri Imperatoris *Xün-chi*, ut illic exigere reliquos vitæ annos liceret inter cineres & cupressos sui Domini extinti.

Et quamvis apud Sinas cineres venerari vittâ functorum, pietas creditur, nihilominus petitio Sucamæ valde displicuit Imperatori novo, tanquam suspecta occultæ cuiusdam & minimè sinceræ machinationis.

Vultuoso igitur similis præcipit, petitio iterum ad incudem ut revocetur, accuratiū examinanda. Examinatores itaque, cùm, ne displicerent Regi, tum ut desiderio Palatinarum quorundam facerent satis, quorum aliqui nihil magis, quām Sucamæ exitium peroptabant, in libello plures quām viginti latere culpas edixere, quæ ad unam hanc revocari poterant; Sucamam voluisse Regi imponere. Absque mora igitur Sucama comprehensus, & catenis ligatus cum natu majori, cùm nondum dignum quid morte judicaretur egisse, bonis omnibus exutus, dimensum centum ictuum, ferulâ bene validâ infictorum, nudis humeris excipere jubetur: Supplicii genus apud Tartaros etiam Nobilibus imponi solitum. Referunt de sententia ad Regem: Rex ut vidit, pœnæ modum, graviter commotus, lenitatem

Judi-

Judicum increpitat, iterum de novo rem iubet revocari ad calculos. Omnes commirati sunt rigoris exemplum in Rege adhuc iuvenculo recens Imperii habenas complexo, miti aliquin & ad miraculum propè moderato, cùm præsertim reus nihil dignum morte videretur gessisse. Sed nimirum aliis iudex & aliud tribunal humanis oculis occultum, sed quod nulla latent crima, & perfidiæ hominum, eum ad debitas scelerum pœnas deposcebat; ad illum planè modum, prout Titus protestatus est, videri gravius quoddam in Hebræis delictum, plecti, quām quod adversus Romanos admissent, cùm suorum militum insuetum furem in Solymorum excidio tantâ ferri barbarie & diritate conspexit. Visâ igitur Regis inclinatione & peracerbo primorum Ministrorum in Sucamam odio, primum fuit Judicibus in secundo examine gravissimas culpas reperire, quæ rebellionem ipsam & perfidiam clamatam olerent. Vnde in hanc sententiam itum, ac pronuntiatum. Sucama, eiúsq; filius, quoniam Imperii exitium machinati sunt, & ab aula propterea, ut feralia sua consilia in opus deducerent, abesse constituerunt, ferrum patiuntor, conscripto vulneribus corio, & in quovis vulnere fistitor stagnans crux ignitâ laminâ, moriuntor diu, ut sentiant se mori. Nati reliqui ac nepotes (erant numero qua-

quatuordecim, septem filii, totidem nepotes, quos inter aliquot infantes trimuli, decollantur. Vxores, filiae, mulierum cæteræ venduntur Tartaris, bona omnia fisco addicuntur. Est autem mos antiquus Imperatorum Sinensium, ut pietatem erga sibi subiectos commonstrent, sententiam aliquantum mitigare. Hunc tene-
re morem etiam CAM HO placuit, secturam, ac ferri morsus ignovit, laqueo frangi gulam contentus, & hoc propterea, quod Sucama inter primarios Regni Ministros a suo Patre relictus esset; Quoad cætera sententiam exhaustiri voluit, prout dixi 4. Septemb. anno 1666. Atq; hæc est quidem supplicii narratio, nunc P. Joannis Adami successum comparemus.

In primis iusto DEI iudicio Sucama meruit exscindi cum tota familia illo ipso mense Septembri, quo ipse tribus anni ante, junctis cum *Yamquansienio* furore & copiis, cœpit cogitare de exscindendo penitus apud Sinas nomine omni Christiano, & quo uno ante anno exiliū viginti quinque Sacerdotibus imperavit. Fuit quoque manifestum DEI vindicis argumentum, ut illa ipsa actio & color, quod absentiā suam ab aula excusare Sucama fatagebat, nimirum venerandi ossa defuncti Imperatoris, quā re alii laudem promeriti fuerant apud populum ac Regem, Imperatori parvulo videtur actio illaudata, suspecta, non solum nullius

ferax

ferax gratiæ & favoris, sed etiam digna morte. Sic etenim evenire versipelli decebat, quippe, qui, cùm improbè loco CAM HÌ dominaretur in Regno, Christianorum actiones omnes quantumvis pias ac sanctas in suspicionem ac fraudem adduxerit.

Si porro barbarum hunc Ammanum cum sceleris puro Mardochæo contendere libet, advertemus profectò regnante Sucama Patrem Adamum gravissimorum criminum alligatum, catenis onustum, compactum fuisse in ergastulum: & hoc ipsum nunc Sucamæ evenisse, accusatum, vincitum & in carcerem missum cum omnibus suis filiis ac nepotibus.

P. Adamus ferè octogenarius octo mensium spatio nervorum contractione laboravit; Sucama quadraginta vix excedens annos duplò plus torquetur.

P. Adamus linguæ usum in carcere & ærumnis amisit; Sucama eam itidem in carcere deperdidit.

P. Adamus in primo judicio sententiam tulit mitiorem, in secundo condemnatur ad crudelē ferri sectionem, à qua tamen torturâ postea liber evasit, quòd unus ex primis Imperii Ministris ab Imperatore Xún-chì constitutus Mathematicorum tribunali præsederit. Ast idem prorsus exantlare tormentum Sucama compulsus fuit.

Pater

Pater Adamus æger ac membrorum usu de-
stitutus, deportatur ad tribunal in stragulis, la-
chrimas & gemitum vulgi adeptus, quod ipsum
sanctum & innocentem appellavit. Ad hoc
ipsum postea tribunal supra afferem positus,
membris captus & æger deportatus fuit Suca-
ma, sed cum ingenti populi lætitia & plausu
videntis tandem impium & crudelem prodi-
torem ad commeritas raptari pœnas.

Patri Adamo rapuere à latere quinque dis-
cipulos, imò filios per baptismi fontem gene-
ratos, innocuos, & eduxerunt, ut decolla-
rentur; Sucamæ autem eripiuerent omnino qua-
tuordecim filios & nepotes, & hos quoque
innoxios, perimendos.

P. Adamum ac Socios Sacerdotes exegere
suis ē domibus ac templis, bonis fisco addictis;
Etiam Sucama non solum non reverti permis-
sus fuit in palatium suum, verùm & ejus uxo-
res & filiæ, quæ priùs Reginarum instar cole-
bantur à Sinis, nunc sub hasta venduntur in
servitutem vilissimis Tartaris, fortunis mo-
mento omnibus, quæ septem milliones ut vo-
cant, excedebant, apud Sucamam repertæ,
regium in ærarium translatis.

At verò extremū vitæ sub ætū mirūm quan-
tum discrepavere Amanus ille & Mardochæus

no-

noster; siquidem P. Joannes Adamus prodigijs clar⁹ cælestibus, i^mmunis ab omni culpa ex carcere remigravit ad templum; Sucama autem catenis onusstus ex carcere ambulavit ad supplicium. Non sine causa dubitatum in aula fuit, utrùm Sucama priùs, quām fune ipsi frangeretur gula, Olympum vindicem agnoverit, & quanquam serò nimis ipsum facinorum pœnituerit, cùm namque ad locum supplicij pertraheretur, nostrum templum Orientale prætergressus, levatis miser oculis in signum pœnitentia^e & doloris moto capite ingemuit. Illud verò extra dubium omne fuit in aula, agnitam à populis fuissé talionis pœnæ, quam cœlum impio dæmonis mancipio inflixerit; namque post supplicium de Sucama sumptum, per compita & plateas Pequini nulli alij serebantur à vulgo sermones, quām eundem pœnæ modum, quem P. Joanni Adamo paraverat, ipsi impio irrogatum; l^atis omnibus, hunc tandem è vivis morte sublatum, alterum verò cum honore periculō exemptum. Equis tunc fuit, qui Christianorum DEI potentiam ac iustitiam non summis laudibus extolleret?

XI.

Anno 1667. 25. Martij apparuit sol arcu magno variorum colorum tanquam iride circumdatus, & huic arcui tres alij maiores coloris

loris argentei conne^ctebantur foris , invicem implicati versus ortum. Talis perseveravit sol ab hora decima quartâ ad ipsum usque meridiem.

XII.

Anno 1668. qui propè fatalis & funestus toti Chinæ extitit , quo etiamnum Patrum exilium & prohibitio Apostolici ministerij perduravit , Martij 7. ad initium noctis conspecta fuit in cœlo trabs prægrandis ex minutulis conflata stellulis , acutum desinens , pyramidis vel lanceæ igneæ figurâ , ab ortu in occasum versa. Perseveravit videri usque ad decimum nonum dicti mensis , subinde evanuit. Fuit hæc lancea futuræ stragis ac portentorum triste præludium.

XIII.

Die 25. Julij ejusdem anni videre fuit in China funestos extremi Judicij prodromos. Siquidem (ut rem ordine exequamur) in provincia *Xantum* paulo ante noctem coortus est mœstificus terræ motus , qui ad horam usque vigesimam sequentis diei continuâ concussione terram fatigavit.

Multi hiatus per campos aperti. Malum hoc præcipue sensit metropolis , *Gi-nan-fu*, ejusque circa tractus & sex oppida murata. Illa ipsâ nocte in duabus alijs civitatibus , & tredecim oppidis lapide structis , terra decies contremuit.

Bb

In

XIV.

In urbe *Tai-ngan-chen* versus occasum Solis erupit ex tellure ingens vaporum exhalatio instar nubis candidæ, ac totum illud terræ spatum, ex qua prodijt exhalatio, profundè subsedit; auditus latè per aërem tympanorum strepitus, ferales sub terra boatus, non aliter, ac si tonitrua & tempestas subitus terram magnæ desæviret; nec tremor quassatæ telluris ante decimam sextam diei insequentis horam conquiescere visus, iterum ante finem vespertini crepusculi sed absque mora tam diuturna produxit.

XV.

In civitate, cui nomen *Te-Chen*, & in alijs quinque muratis oppidis æs campanum omne suópte, omnia tympana in conventibus Bonziorum asservari solita insonuerunt. Sed advertamus hīc licet, campanas Sinenses omnes exteriore in parte malleo tangi, & sonū edere.

XVI.

In alijs tribus civitatibus & oppidis terra contremuit ter, & sequenti die ab hora decima quarta usq; ad occasum solis.

XVII.

Toto quatuor civitatum sat grandium confino, cùm cœlum esset sudissimum, & absque omni nube, repente copiosa in campos scen-

scendit pluvia cum iterato terræ motu, simili,
paulo antè dicto.

XIX.

In urbe *Liu-chen* nominata, terribilem in-
modum movit tellus, auditis intra terræ uisce-
ra tonitruis ac fragoribus horrendis. Secun-
dâ noctis horâ incepit tremor, & duravit usque
ad initium noctis sequenti die. Magni hiatus
conspiciuntur, discedere, & aperiri cavernæ,
petris montium ruptis, & fragminibus per-
plana devolutis.

Arenarum vis magna ex terræ rimis ejecta,
diu ventorum ludibrium fuit, & deniq; ex aëre
delapsæ petræ plus triginta personis commi-
nuerunt capita, cerebri medullâ humi di-
spersâ. Ad ultimum ex his ipsis disjunctis
terræ cavernis profluxit humor copiosus a-
quæ flavæ.

XIX.

Hoc ipso die quatuor villæ lapide eductæ e-
luvione perierunt; aquis quatuor palmis altis-
fima domorum tecta transcendentibus. Uno
vicinorum montium ab summo ad imum di-
scisso.

XX.

Alia quatuor oppida murata violentum terre
motum passa sunt; duravit biduo integro tre-
mor, inchoatus alterâ noctis horâ diei vigesi-
mi quinti in Julio, nec desitus, nisi primum.

Bb 2

hora

+

XXI.

25. Ejusdem mensis in alijs quatuor oppidiis
muratis audiri cœptæ confusæ voces & horri-
ficus ululatus , absque eo , ut adverti ab inco-
lis posset , quis eas voces pronuntiaret. Se-
cundum quod mox tenebris obduci cœlum tam
densis , ut palpari manibus possent. Toto illo
tempore , quo memoratæ nebulæ perseverâ-
runt , continuus fuit gallorum clangor & ulu-
latus canum.

XXII.

Eodem quo dixi die , in alia quadam civita-
te profundissima terræ caverna discessit , ex
qua fluvius aquæ immundæ fætore intolerabili
regurgitavit.

XXIII.

In quatuor alijs villis lapide structis , divisit
se tellus in quatuor partes secundum mundi
plagas & ventorum: ex ipsis quatuor arenosæ
scaturigines profluxere. Advertendum in
omnibus his memoratis locis & urbibus pro-
vinciæ *Xan-tùm* collapsa mœnia , turres ac do-
mos , ita ut nihil omnino salvum & integrum
permanferit , & in quibusdam alijs trium Pro-
vinciarum Pequini , Nanquini , & Kiangsi
locis idem contigisse ; quæ etiam plus nimio
terræ

terræ motus persenserint. Advertendum itidem, numerum h̄ic personarum extictarum & sub ruderibus sepultarum minimè iniri, cùm fuerit universalis & absque numero.

XXIV.

Die jam s̄æpius dicto 25. mensis Julij anno 1668. corruerunt duo arcus, celeberrimi illius pontis, cuius longitudo tertiam partem milliarij excedit, opus regium est, lapidis candidi, amplum sanè, & altitudinis quasi immensæ, pulchrum aspectu, artis incomparabilis, majestate tanta, ut videatur recens exstructum, cùm jam plūs mille annis steterit: ruinam postea duxit omnimodam mense Augusto, prout statim dicetur.

XXV.

In Provincia Nanquinensi hoc ipso die 25. Julij medium scissa est rupes durissima, altissimo montis jugo imposita, per foramen decem palmos latum, flumen provolvitur arenis aluentibus, quas inter de monte præcipitantes devolutum quoque saxum fuit, in quo hæc eleminta, sive Hieroglyphica in margine expressa: quorum sensum nemo haetenus interpretari potuit. Hium. Ho Quam C, jam.

XXVI.

Diem tunc 25. Julij planè funestum claudam prodigo à primis mundi seculis inaudito, &

Bb 3 quod

quod propterea jure merito nonnemini videri incredibile possit ; referam tamen h̄ic ipsissimis verbis primū per literas privatas datum, dein typo Sinensi per Provincias editum. Illud etiam refert P. Franciscus Sarpetri , & Fr. Antonius de Sancta Maria in suis ex Cantone datis 9. Novembris 1668. & ad Congregationem de propaganda Fide missis. Ex versæ sic habent.

25. Julij anno 1668. in Provincia *Honan*. in finibus civitatis *Cham-te-fù* in tractu villæ *Vu-ngn-hien*, 27. lunæ sextæ Sinicæ horâ dici 13. ex summitate aëris vacui decidit horrificus juxta & formidabilis draco quatuor pedum , quorum unusquisque unguis habebat quinque, sanè carnosus , caudâ oblongâ , squamatâ , squammis frequentibus magnis & ordinatis , integer , si caput excipias , quod ipsi erat rectum , granditate & longitudine ita protensa , ut centum quinquaginta stœcæ illi operiendo vix sufficerint.

Fortuna fuit decidisse in campum rasum , ac dépilem , hominibus infrequentem , in quo porticus duntaxat iter agentibus receptum dabant; & hanc unam pondus incidentis bestię perfregit. Ad illum videndum egressus est Gubernator villæ , jussitq; illum operiri multo cespite & inhumari. Hæc historia perscribitur , ut nemo ullus cam nesciat. Hucusq; versio monstri.

Vt

Vt hoc prodigium formosius intelligatur, notandum est, mensuram 150. stoccarum respondere 150. kannis Italicis. Et hæc erat longitudo draconis, latitudo autem, quæ condecebat longitudinem. Cecidit in Provincia Honan, quæ est Sinarum medium, & nomen confert toti Imperio. & hanc ob causam China vocatur *Chumque*, hoc est: regnum in medio situm. Dicitur etiam *Chum-hoa* quod est dicere, medium floridum, cultum; Antiquis omnia alia finitima regna præ isto barbara existimantibus. Notandum præterea insignia Monarchiæ Sinensis esse Draconem pedibus quinquunquigeris: & proptera omnes res ad usum Imperatoris Sinensis pertinentes impresa gerere draconis insignia, & habetur pro delicto capitali huiusmodi insignibus domi suæ uti. Advertendum denique, omnes Patres, qui morabantur in exilio Cantonensi, ad primum hujus prodigiij nuntium dubitasse de veritate rei, probè gnaros Sinensium astutiæ, & parvum addictæ Tartaro voluntatis. Quæ res ipsis suspicionem movit, ne forsan Sinæ, auditis ac visis tot per Provincias portentis, & cœlo usque adeò irato, fingerent hujusmodi acephalum Draconem ex alto lapsum, ad denotandum sceptri Tartarici casum & interitū, & re ipsa populus sic occulta interpretabatur auguria.

B b 4

Atq;

Atque adeò Patres, antequam prodigium
hoc literis committerent, exspectandum
censuere, quid Mercurij ex alijs afferrent Pro-
vincijs, & compertò, non variare, imò ex-
cusos esse, & vulgatos per totum Imperium,
nihil Regulis & Mandarinis adversantibus,
tum & ipsi cæteris prodigijs hoc quoque copu-
larunt, quæ hæc ipsa die contigerant; cùm
præsertim eos minimè lateret sub pœnâ capitis
prohiberi apud sinas, ne quis vel scripto, vel
typo mendaces serere rumores auderet, præ-
sertim in materia, qualis hæc est, adeò sensi-
bili. Verissimum est, Tartaros quoque in au-
la monstrum hoc in rem suam explicasse, asse-
rentes, DEUM regnum sibi eo signo confir-
mâsse nullis finiendum temporibus. Draco-
nem enim non fuisse signum Tartarorum, sed
Sinensium, quibus cœlum reciderit caput ad
auferendam ipsis omnem regnandi spem, quod
non nisi capite fuit salvo & integro.

XXVII.

Sed nondum est hîc finis prodigiorum in
Provincia Xantùm. 24. die enim mensis Au-
gusti anni 1668. altissimus ille mons, quem
Sinæ *Xam* vocant, medius à summo ad imum
scissus est, de quo monte libri Sinenses fre-
quenter agunt, peregrinorum affluxu, & ido-
lorum cultu celebratissimo. Sunt in eo magni-
fica quoque ædificia, & magnus Bonziorum
nume-

numerus, oracula inde tanquam ex Tripode venditantium. Ex diducto montis rictu per tres dies continuos eruperunt flumina coloris sanguinei, & sub finem diei tertij deglutitus fuit mons penitus unacum Bonziorum agminibus, idolis, & Oraculis.

XXIX.

Eodem illo die, quo mons esse desijt, considerunt villæ numero tredecim hominibus quam plurimis ruinâ & mole consepultis.

XXIX.

Terrorem, supra quam dñci potest, magnum incusseré toti Imperio geminæ civitates, hoc ipso die à terra absorptæ, una in Provincia Nanquinensi, in Xantumensi altera. Hanc Socien-hien dixerunt positam ad latus rapidissimi fluminis Hoam-bo, dicti, ubi hodie civitatis locum amplissimus lacus occupavit.

XXX.

26. Augusti eodem anno 1668. in urbe quædam Provinciæ Pe-che lì quæ est ipsissimum Pequinum, procubuit dimidia turris cuiusdam altissimæ pars, & prodigio simile videtur, quod altera turris pars ita permanet in casum proclivis, ut videatur omni momento casura, neque tamen cadat, in aëre quasi suâpte suspensa.

XXXI.

Bb 5

Hoc

Hoc denique die complevit ruinam & casum suum famosissimus ille pons non multum à mœnibus Pequini distans, cuius mentionem supra fecimus, dignissimus in mundi miraculis narrari. Inter rudera saxum prægrande reperatum, in quo quatuor versus charactere Sinensi incisi legebantur. Sinicè sic pronuntiantur.

16. <i>Xao</i>	11. <i>Xe</i>	6. <i>Ta</i>	1. <i>C, ie</i>
17. <i>C, in</i>	12. <i>Leao</i>	7. <i>Tao</i>	2. <i>Leam</i>
18. <i>Si</i>	13. <i>Nan</i>	8. <i>Lo</i>	3. <i>Quam</i>
19. <i>Xan</i>	14. <i>Lai</i>	9. <i>Keu</i>	4. <i>Xhe</i>
20. <i>Muj</i>	15. <i>mj</i>	10 <i>Kiao</i>	5. <i>Quo</i>

Sensus litteralis versuum est: Postquam currus *C, ie Leam quam* transiverit (non potuit penetrari sensus harum trium litterarum *C- ie Leam quam*; Videntur denotare nomen proprium illius hominis, vel rei, quæ debet transvehi in curru) Pons hic *Lo-Keu* dictus concidet. & non amplius comedetur oryza, in aulam Pekinensem à partibus Australibus subvenienda. Neq; amplius comburetur carbo à montibus occiduis in aulam asportatus. Hucusque versuum sensus.


Atq; hæc sunt prodigia, quæ operatus est DEUS in vastissimo hoc Sinarum Imperio nostra hæc ætate, annis abhinc non plus tribus; in novo Asiaro mundo ducentis & amplius hominum millionibus frequente.

Abun-

Abundat hoc regnū non minūs literatis , quām
politici planè exultis , Cujus monarchia jam
quater mille annis incolmis stetit. Hoc itaq;
nos Imperium tam celebre , tam antiquum ,
DEO freti, speramus ad agnitionem veri DEI ,
& in gremium Romanæ Ecclesiæ adducere .
Expeditio magna est, fateor, verū in præfens
minūs ardua & difficilis, cùm perspicuè videa-
mus jam brachium Dei excelsi esse ad opus suc-
cinctum ; DEUS Author est incepti , DEUS
felicem dabit finem. Finio hīc breve meum
compendium ; qui plura desiderat , prælum
consulat Viennense P. Joannis Dominici Ga-
biani , vel ex Francia P. Adriani Crelon, vel
ex Belgio relationem latinam Patris Francisci
Rougemont. Ex his non solum cognoscet per-
secutionem præteritam, verū etiam progres-
sus militares , quos faciunt Tartari. Qui
denique cupit ex fundamentis intelligere de
scientijs Sinensium tam politicis , quām mora-
libus , expectet cum patientia commentarios
in Confutium & Mencium Philosophos Sinen-
ses , traductos in latinum sermonem à P. Pro-
spero Intorcetta , quorum operam sub prælo
urget Pater Athanasius Kircher. Omnes hi
Patres sunt de Societate JESU. Romæ 25. Ja-
nuarij Anno 1672.

Prosperus Intorcetta.
O. A. M. D. G.

Qve in hoc libello miraculis & revelationi-
bus affinia narrantur, non aliâ, quâm fide
humana accepta esse, & pro talibus haberi de-
bere hisce monere placuit, juxta Decretum Pon-
tificium editum Anno 1652. 13. Martij.



INDEX RERUM.

Numerus paginam
indicit.

A.

Accusator P. Adami vinculis tenetur. 33.
fatetur se alienâ fraude inductum .33. e-
jus pœna ibid.

Accusatores alij. 123. veniam petunt. 124.

Accusator Patrum *Yamquamsienius*. 358.

P. Adamus Schall adolescens , Pequini in lite-
ris Sinicis se exercet. 10. ejus de Eclypsi tra-
Etatus Regi offertur. ibid. præficitur à Rege
Calendario corrigendo. 13. Sinicè scribit tres
libros. 13. offert Regi. ibid. assistit morienti
Doctori Paulo. 19. exhibet Regi instrumen-
ta Mathematica. 25. ejus accusator exilio
multatur. 33. aliis repente moritur. 34. Ad-
versarij quatuor peste pereunt 35. Regi con-
ficit clavicymbalū. 36. Præficitur fundendis
æneis tormentis. 64. Provinciam hanc de-
precatur , sed frustra. ibid. istorum usum in
Chinas invehit primus. 66. Eunuchorum-
fraudem detegit Regi. 68. Propugnaculi tri-
angula-

INDEX

angularis idem exhibet. 69. à Rege Elogio Fidelitatis donatur. 73. à tribus expetitur Regulis. 78. monet Regem de Regia defendenda. 78. mortem Regis in piæta tabula prævidet. 83. à Latronib' servatur incolmis cū domo & domesticis. 85. vocatus ad fratre Latronum Principis benevolè excipitur. 89. subsistit in direptione Regiæ urbis, & Christ. solatur. 90. P. Adamo equus in eo sibi fugâ consulturo, aufertur. 100. Latrones à domo suâ arcet. 101. desperabundos vitæ periculo eximit. 103. furori civium audaciâ occurrit. 106. Xensiensium humanitas in P. Adamum 108. Tartaro-Chinensium Rex Xùn - Chy P. Adamo facultatem concedit comorandi Pequini, incolis in suburbia migrare jussis. 112. Observat Eclypsin cum Senatûs summa commendatione. 118. assumitur in Rei Mathematicæ Præfectum. ibid. Onera Præfecturam comitantia deprecatur. 121. allevantur. ibid. sustentatur à Rege. 121. Avaritia conjurat cum malevolis in P. Adamum. 122. accusatur. 123. innocens reperitur. 124. adversarij culpam deprecantur. 125. multi ad Fidem Christianam inde convertuntur. 126. In Præfectura Mathematica confirmatur. 128. Regis Patrum ab extruenda urbe inhibet. 146. Rem Christianam in Imperio promovet. 147. in ejus gratiam Patres Societatis

INDEX

tis laboribus, verberibus, neci eximuntur. 148. Bonziorum admissionem Regi dissuadet. 150. Regis Sponsam sanitati restituit. 153. præstigiator à Bonziis nuncupatur. 155. Regiis interest nuptiis. 155. Regis defectus insinuat. 161. & seqq. Dissuadet Eidem ne Bonziorum Coryphæo obviam eat. 165. Innocentes ex carcere liberat. 168. Suadet Regi Jubilæum indicendum. 169. dissuadet Regi duo itinera, & persuadet. 170. & 171. quinque Præfectos Tribunalium exilio multandos liberat. 172. ejus apud Regem & Gentiles authoritas. 176. Habet licentiam pro arbitrio Regem adeundi. 180. ab hoc sæpe invisitur. 187. parat Regi merendam pauperem, & placet. 193. Regi explicat Decalogum. 199. item Passiōnem Christi. 208. impetrat à Rege locum sepulturæ. 217. Ornatur titulo Magistri arcanorum cœlestiū. 219. librum sub nomine Exhortationis ad virtutem Regis manu scriptum approbat. 223. Diplomate honorifico à Rege impertitur. 224. administrat Sacra menta & concionatur unus Pequini. 241. Joannem Reguli filium baptizat. 244. ad omnem pietatem instruit. 244. & seqq. impedit Sacrificium dæmoni faciendum. 249. Joannes post mortem gloriōsus apparet P Adamo. 258. Malè habentes animo & corpore curat. 263. & seqq. dæmo-

INDEX.

monem pellit. 275. Mathematici in P. Adamum vindicta. 280. impetrat à Rege qui contra adversarium, Mercurium obseruent. 283. pro adversario deprecatur. 289. ægrotum Regem ad meliora erigere studet. 296. cùmq; à superstitionibus Bonziorum avocare, sed frustra. 300. Pro Rege cum Socijs apud DEUM supplicat. 302. Invisit Regem, & benevolè excipitur. 304. describit motum Cometæ. 332. Moralis inde deductio. 333. Juramentum Fidelitatis novo Regi non cōram Idolo, sed alio loco præstat. 335. funus Regium comitatur. 336. ejus sensus de Rege defuncto. 342. arguitur rebellionis. 358. Per bimestre ferè quotidie ad tribunal raptatur. 359. intrepidè respondet. ibid. reus mortis judicatur. ibid. è carcere liberatur. 374. Sucama Gubernator cādēm pœnā punitur, quam P. Adamo paraverat. 379. P. Adamus in aula Pequinī, ærumnis, persecutio-
nitis doloribus, & senio confectus mori-
tur. 364.

Adoratio Regis quomodo peragatur. 307. & seqq.

Advenæ quomodo tractentur. I.

Adulter mirabili astu pellitur. 277.

Agnus DEI in periculo vitæ præsidium. 45. ædes P. Adami ab incendio servat incolumes

102. Sponsam Regis sanitati restituit. 153. à latro-

INDEX.

- Iatronibus & Sagittis immunes reddit 265.
arcet dæmonem 271. & 264.
P. Alphonsus Vanchoni 107.
Alumni Mathematici ad aram serviunt. 240.
 eorum modestia & fervor. ibid.
Amacaum Lusitanorum emporium. 73. in ea
 fætitia publica 74.
SS. Angelorum ara Pequini. 233.
P. Antonius Andrada. 165.
Aquæ lustralis mirabiles effectus 46. 268. 269.
 272.
Aquanū eluvio altissimas ædes transcendit 385.
Arc⁹ duo celeberrimi pontis corruunt 387. 391.
Aspectus Iconum Sacrarum occurrit Ethnicis
 in somno. 41.
Astronomorum Chinensium ignorantia 7. 8.
Astronomi, Coreanis dicuntur Nubium Magi-
 stratus. 132.
Astronomiæ reformatæ laus. 220.
Aulæ Pequinensis magna pars improviso in-
 cendio perit. 374.
Aulici familiares Regi post hujus mortem se
 ipos perimunt. 322.
Author Expeditionis Chinensis. 2.

B.

- Baccalaureorum insignia literaria 311.
Baptismus hominem ferocem efficit mitē 264.
B. V. MARIÆ ara extruitur Pequini 233.
Cc Bon-

INDEX.

- Bonziorum, sive Lamarum deliria 150. eorum
fastus 153. Bonziorum coryphæus tria mil-
lia in Chinam trahit 165. excipitur ab Im-
peratore 166. Bonziorum amore capitul-
Rex 299. eorum duo millia funus Reginæ
comitantur 299. inducuntur in palatium
ibid. persuadent Regi adorationem idolorum
302. dimittuntur ē palatio. 307.
Bonzij mendicato vivunt 354. Bonzij plurimi
cum idolis terrâ absorpti. 390.

C.

- Cadavera Chinensium cremantur. 314.
Calculus Mathematicus Europæorum à Chi-
nensium 30. & Tartarorum Rege approba-
tur 118. 279.
Calendarium Sinicum correctum offertur Regi
28. approbatur 30. ejus reformatio ultra se-
ptuages suscepta 76.
Cam-hi annos natus 14 adit Imperium 276. ju-
bet examinari petitionem Sucamæ Guber-
natoris 377. clementiam Judicum increpitat
378.
Cameli funus sequuntur. 318. 337.
Campanæ & tympana suopte insonant 384.
Canes secti, quinam? 81.
Canton Provincia. 2. locus exilij Patrum 362.
Cedri materia tumbarum. 314.
Ceram pro templo Pequini Regina Mater sup-
pide-

INDEX.

- peditat 233. eà solus Rex & Regina utuntur
ibid.
- Cereus benedictus ægrotanti proficuus. 243.
272.
- Ceremoniæ in adoratione Regis 308.
- Châ, pótus. 55. 304. 317.
- Chinense ad Regnum difficilis Christianorum
aditus 1.
- Chinenſum mores. 1. Linguæ difficultas. 2. toto
Eclipsi tempore genua flectunt 117. Neo-
phytorum Chinensum fervor. 236.
- Chinenſis sexagenarius instruit Catechume-
nos. 238.
- Chinenſes celebrant festum Theophoriæ, &
Christi morientis 241. in Chinam quo com-
pendio veniendum? 262.
- Chinenſum unio. 313. gubernatio pacata. ibid.
rejiciunt Moscovitas. 313. Mortuorum cura.
ibid.
- Chinæ metropoles quot? 49.
- China numerat Regna quindecim. 353.
- Christiani ex China pelluntur. 50. quinq; iñq;
Literati capite plectuntur. 361.
- Christianorum numerus in China. 109. auge-
tur 238. 355.
- Christiani nominis vis. 267.
- Christiani ab intumescente mari servantur il-
læsi. 371.
- Cibi demortuis toto anno apponuntur. 324.
- Cibi

INDEX.

- Civitatum multitudo. 49.
Classis Mathematicorum triplex. 142.
Clavi cymbalum. 36.
Cô, Mathematicus P. Adamo adversatur. 33.
 ejus querelæ contra hunc à Rege non audi-
 untur. 34. jubetur castigari, obrizæ bolo
 suffocatur. ibid.
Colai, Sinis sunt Magistratus summi. 215.
Cometa Regis mortem prænuntians. 304. 372.
Congregationes virorum, & fæminarum in
 China. 239.
Concubinæ post amati mortem se suspendunt.
 322.
Conferentia Patrum cum alijs Religiosis. 363.
Conjuratio contra P. Adamum. 122.
Constantiæ exemplum. 4.
Conversio ad Fidem. 126. 238. 267. 276.
Coreanorum Rex invisit P. Adamum. 139. il-
 lius ad hunc epistola. ibid.
Cosmographicæ tabulæ Regi oblatæ. 216.
COXEUKIM Calendarij Sinici antiquus Refor-
 mator. 8.
Criminatio Legis Christianæ. 29. 30.
Crucem Rex format. 212. Crucis mirus effe-
 ctus. 265.
Crux candida in cœlo apparet. 370.
Cura de sepulchro. 314.

D.

Dæ-

INDEX.

- Dæmoni litatur. 246. infestat juvenem & mulierem. 264. filiolum cuiusdam abscondit, quem reddere cogitur. 267. formâ vulpeculae Censum Magistro molestus est. 271. aqua Iustrali pellitur. 272. S. Ignatij effigie. 273. ob sidet fæminam. 275.
Deductio funeris Regij. 336.
Defunctorum commemoratio. 276.
Deploratio Regis. 335.
Diploma Regium pro P. Adamo. 219.
Doctoris Pauli in Patres favor. 10. 12. 13.
præbet occasionem firmandæ Missionis. ibid.
proponit Regi decem Astronomorum errores. 11. de ejus doctrina existimatio 12. inducit Regem ad præficiendum corrigendo Calendario P. Joannem Terentium. ibid.
item P. Adamum Schall. 12. hujus libros Sinicè editos expolit. 14. convocat Astronomos totius Regni ad confutandum GUEY.
16. moritur Rhriftianè & piè. 17. ejus laudes ad Colaorum dignitatem evecti. 18. in Patres liberalitas. 213.
Doctor Petrus sufficitur Doctori Paulo 21. ab eo discedunt multi discipuli. 22. vult cedere officio. 22. noctem plorando transfigit. 26. assignatam Patribus domum & pensionem impetrat. 28. item favorem Regium. 52.
PP. Dominicani quot numerent tempa in China? 355. edunt Sinicâ linguâ tria volumina ibid.

INDEX.

Draco Chinensium Imperatorum insigne. 23.
Draco ingens cadit de cœlo. 388. & seqq.
Dux Chinensis urbem sibi commissam rara-
virtute defendit. 94. Tartaros in auxilium
vocat. 95. obsidione solvunt. ibid.

E.

Edictum pro Patribus admittendis in Chinam.

243.

Effigies Patrum à Rege petuntur. 225. P. Ada-
mi Schall ab ipso Rege exprimitur. ibid.

Elogio à Senatum Principibus commendatur
observatio Europæa Eclipsis. 118.

Elogium P. Adamo à Rege datum. 345. ejus-
Patri. 347. Matri. 348. Avo. 350. Aviæ.
351.

Elephantorum spectaculum. 190. comitantur
funus Regium. 337.

P. Emmanuel Diaz jubetur excubias agere.
148.

Ephemeridam Chinensiū frequens correctio 8.
Equi phalerati sequuntur funus. 319. 337. post
funus viliori pretio habentur. 320.

Ethnicorum humanitas. 108. modestia. 241.

Eunuchorum invidia in exterros. 23. Regem-
de Patribus Societatis malè informant. 26.
Eunuchorum Summus libros de DEI Lege
scriptos petit. 30. nil censurâ dignum in ijs-
reperit. ibid. eorum criminatorem apologiâ
refu-

INDEX.

- refutat. 30. Eunuchorum multi Christiani.
3. pecuniam ad pium usum destinatam suf-
furantur. 39. Regiæ aulæ inserviunt decem
millia. 39.
Eunuchus Josephus puellas Regias instruit in.
Fide 41. 42. 43. Eunuchorum procacia à
DEO punitur. 47. Invident P. Adamo. 64.
petulantia. 65. imponunt Regi. 67. pœnas
dant. 68. à Rege premuntur. 79. conspirant
cum Latronibus in Regem. 80. hos admit-
tunt Pequinum. 81. quinq; millia dimittun-
tur ex aula. 344.
Europæi Patres à peste intacti manent. 68.
Exhalatio vaporum ingens è terra. 384.

F.

- Fames & sterilitas terræ. 375.
Familia Cò P. Adamo adversatur. 33.
Festa Theophoriæ & Christi morientis cele-
brantur in China. 241.
P. Ferdinandus Verbiest pro Rege DEO sup-
plicat. 301.
Filij Cœli vocantur Reges Chinenses. 200.
Fides Christiana à S. Thoma Apostolo in Chi-
nas advecta. 234. à Sinis propagata. ibid.
deniq; rursus Ducibus S. Francisco Xave-
rio, & P. Matthæo Riccio, Patribusque
Societatis divulgata ibid.
Flabellæ duo Rex donat P. Adamo. 185.

INDEX.

- Fœtor intolerabilis ē terra. 386.
Forma sarcophagi. 314.
PP. Franciscani quot converterint. 355. quot
habeant templa. 355, edunt unum librum Si-
nicā lingua. 357.
P. Franciscus Ferrari verberibus subjiciendus
liberatur. 148. in carcerem conjectus. 293.
S. Franciscus Xaverius primus Author Expe-
ditionis Chinensis. 2. in ipso aditu moritur.
ibid. ejus ara Pequini. 233.
Funeris apparatus. 318.
Funeris Chinensis deductio. 324.
Funeris Tartarici deductio. 318. pompa. 321.
post septem dies iteratur. 322.
Funerales ritus. 319. 330.

G.

- P. Gabriel de Mangilhes capitulatur, capite ple-
ctendus liberatur. 149.
Geographica Chinæ descriptio. 1.
Globus igneus ē cœlo in Palatium decidit. 374.
Gubernatores Regni consilia P. Adami Regi
privatim data comprobant. 343. restituunt
illi Tribunal alterum Mathematicum. 343.
pellunt ex aula quinq; millia Eunuchorum.
344.
GUEY Patribus emendationem Calendarij
invi-

INDEX.

invidet, 15. ejus libellus famosus, ibid. de-
mortui pensio tribuitur Patribus. 28.

H.

Habitus Procerum Chinensium. 310.

Habitus lugubris apud Chinenses alb' est. 328.

HAI-NAN Insula. 355.

Helenæ Christianæ heroica virtus. 48.

Hollandicum vinum Regi non sapit. 191.

Hollandi arma in Chinam inferunt. 161.

Hominum in China ducenti & amplius milli-
ones. 392.

Honor defunctis exhiberi solitus. 341.

Horariæ machinæ offeruntur Regi. 4.

I.

P. Jacobus Pantoja in Chinam venit. 4.

P. Jacobus rho præficitur cum P. Adamo Ca-
lendario corrigendo, 13. restituit Socios spe-
culâ Mathematicâ dejectos. 27. moritur,
eius labores in China, ibid.

Idola. 302. 335.

JESV nomen. 257. 279. 272.

S. Ignatij ara Pequini. 233. ejus reliquiæ le-
vant partum 242. 270. arcent dæmonem.

271. 273. 274.

Ignis parcit ædibus P. Adami, 103. Mathema-
ticis instrumentis, 104. Imago

INDEX.

- Imago Salvatoris Coreanorum Regi donatur. 139.
Imagines Sacræ rapiuntur ē templis. 375.
Incendium. 27.
Indultum generale fit captivis. 373.
Ingratitudo. 273.
Innocentia cœlitus vindicatur. 360.
Instrumenta Mathematica Regi oblata. 13. 23.
216.
Invidia punitur. 34. & 35.
Inundatio aquarum. 372.
P. Joannes Grueber pro Rege orat. 301.
P. Joannes Terentius vir doctus & humilis. 12.
Calendario corrigendo præficitur à Rege,
ibid, cœptum opus Tartarorum irruptione
impeditur. 12. moritur, ibid.
Joannes reguli filius, ope S. Ignatij nascitur.
242. P. Adamo gratus. 243. tanquam de-
gener ē palatio dimittitur. ibid. incidit in-
morbum, permittitur P. Adami curæ, bapti-
zatur, & mox Sanitati restituitur. 244. petit
licentiam profitendi Fidem. 245. à parente
eius preces eluduntur, ab idolatria patris
recedit. 245. viso idolo territus P. Adamo
commendatur, ibid. utitur aqua lustrali, in-
terest Missæ, à parente ejus preces expetun-
tur.

INDEX.

tur. in divinis fervor, modestia. 247. reverentia erga sacras imagines. 248. vitam Christi manibus volutat, 248. torvis oculis Judam depictum aspicit, 249. Invectus in Medicum discerpit dæmonis effigiem. 249. P. Adamo quam obsequiosum se exhibuerit, 250. & 251. ejus beneficiendi promptitudo. 253. magnanimitas in perferendis morbi doloribus. 253. patientia. 254. piè moritur, 257. corpusculum in cineres more gentis redigitur, ibid, P. Adamo post mortem gloriosus apparet, 258. ejus verba ibid, ossula corporis collecta, 260.

Josephi VAM Eunuchi conversio, 41. baptizat & instruit in Fide puellas Ethnicas, 42. 43. Jovis per ascellos motus Chinensi vulgo omninoſus, 26.

Juramentum fidelitatis novo regi praæſtitum, 376.

Juvenis Tartaricus convertitur, 262.

L.

Latrones quinam? 76. Latronū trecenta millia Pequinū ingressi in ædes & homines defævunt, 85. Latronum Princeps in Sede Regia quoties

INDEX.

- quoties sedet, toties gravedine capitis corripitur. 34. Simio quām homini propior videtur. *ibid.* inaugurationis diem differt. 92. ars ejus in expugnanda urbe. 94. agitur in fugam. 96. Latronum centum ferē millia à Tartaris cæduntur 69. regiam relinquit Tyrannus & in XENsy fugam arripit. *ibid.* Pequinum jubet exuri. 96. hujus deprædatio & conflagratio decem integros dies tenet. 97. cur Pequinum venerit. 97. Lævæ situs Chinensibus est honoratior dextrâ. 312. Lex Christiana criminatur. 29. 30. à Rege laudatur. 73. ejus encomiūm à Rege datum, marmori insculptum. 226. pro falsa condemnatur. 359. Libri de Lege DEI ab Eunucho peruntur. 30. jubentur comburi. 359. Licentiatorum habitus in adoratione Regis. 311. Luctu tempore quomodo se habeant Chinenses. 328.

M.

- Machina mechanica. 129. Mahometani. 58. castigantur. 59. quidam vindictam de P. Adamo innocentē sumere statuit. 280. castigatur. 287. Ma-

INDEX.

- Mahometanus, Præses Tribunalis rituum pri-
vatur dignitate. 292.
- Mandarini dicuntur Proceres secundi ordinis.
308. alij literati, alij militares. 312.
- Mare intumescit cum magna Ethnicorum stra-
ge 371. cum plurium ruina in quatuor Pro-
vinciis. ibid.
- P. Martinus Martini. 109.
- Mathesis æstimatio. 4. occasionem præbet ve-
ritate Christianâ Chinenses imbuendi. ibid.
- Mathematici Chinenses à prædicenda Eclipsi
Solis aberrant. 9. excusant se majorum igno-
rantiâ. ibid.
- Mathematicorum concertatio. 16.
- Mathematica Instrumenta & libri ab incendio
servantur. 104.
- Mathematici Tribunalis tres Classes. 142.
- Mathematicæ rei præficitur P. Adamus. 118.
- Mathematici vindicta in P. Adamum. 280.
- Mathematica Europæa accusatur. 361.
- P. Matthæus Riccius primus ad aulam Regiam
Pequini penetrat. 4. ejus Sepulturæ locus.
6. Pequini docet Euclidem. 234.
- Maximilianus Dux Bavariæ per sua dona Mis-
sionarijs aditum ad Regem Chinorum facit. 36.
- Memoriale Gubernatoribus traditur. 358.
- Metropolum multitudo. 49.
- P. Mi-

INDEX

- P. Michaël Rogerii un' exprimis in China. 354.
Milites Pequini quot. 81.
Missæ sacrificium mulieri proficuum. 269.
Mons altissimus Chinæ scinditur, & absorbe-
tur cum Bonziis, idolis & oraculis. 390.
Mortui ex variolis centum dies servantur an-
tequam crementur. 341. deplorantur à pro-
pinquis 316. depinguntur in fronte tumbæ.
371.
Moscovitæ. 313. 225.
Mulierum constantia in Fide. 47.
Muri mille leucarum. 171.

N.

- Neophytorum feruor. 236. Neophytus Agnō
Dei armatus à latronibus immunis servatur.
265.
P. Nicolaus Longobardus rogat licentiam ade-
undi Curiam & adit, 5. ejus effigiem Rex ju-
bet depingi. 225.
P. Nicolaus Purgolesky ē China transitum ad
Tartaros solicitat in Poloniā 225. Rex dis-
suader. 226.
Nomen CHRISTIANUM dæmonis potestatem
accidit. 267.

O.

- Observatio Europæa Eclipsis commendatur. 118.
Omen

INDEX.

- Omen. 26. 93. 304.
Ossa combustorū cadaverum sepeliuntur. 314.
P. (316.
Panis deauratus ad fores demortui suspenditur.
Passio Christi Regi explicatur. 108.
Patiens Ordinis S. Francisci in Coream aditum
frustra investigant. 142.
Patiens Societatis Iesu Chinam ingrediuntur. 2.
ad correctionem Calendarij invitantur. 4.
persecutio in eos & in Christianos. 5. decem
annis abstinent à publico. 5. ædibus à Tar-
taris proscribuntur. 6. Locus sepulturæ P. ric-
cij iisdem adimitur. 6. ædes à Rege recipiunt
ampliores. 7. à specula Mathematica pellun-
tur. 26. restituuntur. 27. calumniis petun-
tur. 29. docent Astronomica. 35. sumptibus
ē publico acceptis deducuntur Pequinum.
293. Fundatum Collegium non habent. 353-
vivunt ex eleemosynis Europæorum. ibid.
numerus ab ipsis baptizatorum. 355. nume-
rant Ecclesiæ centum, quinquaginta novem
in China. 355. plures quam ducentos octo-
ginta libros Sinensi lingua edunt in lucem.
357. Quatuor Patres Pequinii novē catenis
singuli ligantur. 359. ad tribunalia ex carce-
re ferme quotidie raptantur. 359. verberum
suppicio, & exilio adjudicantur. 372. Pe-
qui-

INDEX.

- quinum citantur omnes Patres toti⁹ Imperij. 359. & carcere liberantur. 361. administrare Sacra menta prohibentur. 362. viginti quinq;
in exilium ablegantur. 362. in eo non rigi-
dè tractantur. 365.
- Patrum ædes à furore latronum immunes. 85.
- Patrum nomen divulgatur in tota China. 108.
- Paulus Doctor. V. Doctor.
- Petrus Doctor. V. Doctor.
- Pequinum Vrbem Regiam septuaginta militum
millia defendunt; tria millia Eunuchorū ea-
gubernant. 81. Pequini depopulatio, & con-
flagratio 97. ejus divitiæ. 89.
- Pequinensis Palatij descriptio. 100. 111.
- Pequini templum Christianorum erigitur. 231.
- Perduellum trecenta millia Pequinum ingre-
diuntur. 84.
- Persecutio prima in Christianos Chinenses. 5.
- Persecutio altera. 359.
- Petræ ruptæ. 385.
- Pontis celeberrimi descriptio. 387. corruit.
391.
- Potus Chinensium qualis. 183.
- Pœnitentia Neophytæ. 38.
- Præcepta DEI explicantur Regi. 202.
- Preces Christianorum efficaces. 91.
- Præses

INDEX.

- Præses Tribunalis rituum P. Adamo non favet. 290.
eius fraus detegitur. 291. omni dignitate exuitur. 292. Præsepe. 211.
Principes Senatum Europæam Eclipsis observationem commendant. 118.
Prodigia apud Chinas. 370.
Prognosticum falsum. 243.
Propugnacula quomodo erigenda? 69.
Propinqui ad funus complorant. 316.
Providentia DEI in Virgines Christianas. 91.
Prutheni. 225.
Puellæ Regiæ Fidem amplectuntur. 37. corum fervor. 39.
Puellarum decem millia Regi & Reginæ inferviunt. 39.
Pupilli quomodo se gratos ostendant comitibus funus. 317.

Q.

- Quon, yūn, Idolum. 246.

R.

- Rebellio in Chinensium Regem. 6. rebelles cæduntur. 6.
Reginæ in Puerum JESVM devotio. 37. Legem DEI defendit. 38.
Reginæ juxta Regni legem tres, una dignitate major, duæ dignitate minores. 39.
Regina Tartaro-Chinensis favet Christianis. 125.

Dd

125.



INDEX.

152. 154. portat agnum DEI foris appensū.
157. ægrotā cupit commendari DEO, & sa-
natur. 159.
Reginæ dignitate secundæ sumptuosus appa-
ratus funebris. 299.
Regulus, Agno DEI munitus à tribus sagittis
exceptus incolmis manet. 265.
Regulorum sepeliendorum ceremoniæ. 318.
Religio peregrina apud Chinenses difficulter
stabilitur. 2. 3.
Reliquiæ S. Ignatij parturienti profundit, 242.
270. arcent dæmonem. 271.
Rex Chinensis contra rebelles Tartarorum
auxilium impetrat. 5. rebelles domat. 6. re-
stituit Patribus adempta bona. 6. iisdem as-
signat domum. 28. Calculum Europæum ap-
probat. 30. Patrum æmulos ē Curia ejicit.
13. Vitâ Christi depictâ mirificè capit. 37.
huic videndæ decem dies indulget universæ
aulæ ibid. Regis de libro & vita Christi sen-
sus. 48. Patrum methodum approbat astro-
nomicam. 50. & seqq. curat fundi ænea tor-
menta. 63. eorum commoditate capit. 67.
Legem DEI deauratâ tabulâ commendat.
73. Hæc templo Societatis JESV Amacai ho-
norificè infertur. 74. rex commendat P. A-
damum & Christianam professionem. 74.
Præsidem Tribunalis sinistre de P. Adamo
loquen-

INDEX.

Iloquentem privat officio, & in carcerem duci
jubet. 74. parat se ad resistendum latronibus.
77. Eunuchos offendit. 79. vertit se ad Belli
Duces & Legatos exterorum. 80. restituit Eu-
nuchos. ibid. proditur ab istis. 81. captâ regia
urbe fugam meditatur. ibid. in eum explodun-
tur tormenta. 82. Reversus in Palatium regi-
nam ad suspendum subeundum animat, filios
ad fugam hortatur, filiam nubilem occisurus
dexterâ privat, proprio sanguine voluntatem
ultimam scribit, & seipsum suspendit. 82. à Tar-
taris honorificè sepelitur de Christiana religi-
one optimè meritus. 84. regina laqueo finit
vitam. 86. filius natu minor obtruncatur, ma-
jor cognati gladio perimitur. 88. reginarum
altera Tartaro cedit in ancillam. 86.
Rex Tartaro - Chinensis Xun-chi fausta accla-
matione in regiam deducitur. 110. præficit P.
Adamum rei Mathematicæ. 118. de defectibus
monetur. 161. Bonziorum Caput ad sua remit-
tit. 166. amplissimam distribuit eleemosynam.
167. Jubilæum indicit. 169. ei dissuadetur insti-
tuta venatio. 171. edictum de multandis exilio
revocat. 172. P. Adamum habet ut Magistrum.
177. hujus castam sobriamq; vitam suspicit.
181. P. Adamo magnam exhibet benevolentia-
m. 182. & seqq. intra biennium Patrum ædes
vigesies quater invisit. 187. regi explicantur
DEI præcepta. 199. & seqq. item passio Christi

208.

INDEX.

208. usus Rosarij. 209. jubet depingi imaginem Salvatoris. 210. reveretur S. Ignatium & S. Xaverium. 211. Evolvit vitas Sanctorum. 212. Patrum reditus auget. 214. P. Adamum titulo arcanorum cœlestium Magistri ornat. 221. cupit moneri de suis defectibus. 222. Rex librum scribit sub nomine Exhortationis ad virtutem. 223. P. Adamum diplomate honorifico ornat. 224. ejus effigiem secum retinet. 225. Divinam Legem promulgandi liberrimam concedit licentiam. 225. P. Adamum solatur. 288. de adversarijs P. Adami canit triumphum. 288. nascitur ei filius. 291. Præsidem Tribunalis rituum officio privat. 292. Patres Amacao Pequinum venire publico decreto permittit. 293. ægrotat. 295. de phenomenis nil audire placet. 297. jaqtat se discipulum Bonziorum. 299. perstat in suis erroribus. 300. de ejus obitu præfigium. 301. P. Adamum ultimò benevolè excipit. 304. dolet de præteritis, & condonationem generalem reis decernit. 305. ad quatuor Magnates Regis ultima oratio 305. filium octennem Successorem nominat. 306. vestem draconibus illustrem induit, & collectis brachijs anno 1664. moritur. 307. Ritus adorandi Regis. 307. Rupis disruptio. 387.

S.

P. Sabatinus de Ursis Chinam ingreditur. 4.

INDEX.

- Salvatoris imaginis veneratio. 66. Salvatoris
Christi ara Pequini primaria. 233.
Sarcophagi forma. 314.
Secundæ ars servandæ fidelitatis thori. 277.
Sepulchrorum locus qualis Chinensium. 315.
Sepulturæ locus P. Schall. 217.
P. Simon de Concha Visitator, Sociorū ingress-
sum impetrat à Rege. 293.
Situs quinam honoratior Chinensibus. 312.
Sodalium Chinensium feroꝝ, & modestia. 239
Sol arcu magno circumdatus. 382.
Somnium puellarum Ethnicarum. 42.43.44.
Sophia maritum Catechumenis aggregat. 278.
Stella magna caudata videtur in cælo. 370.
Sterilitas terræ & famæ. 375.
Sucama Gubernatorum quartus. 376. authoꝝ
impiæ sententiæ in Legem Dei & P. Adamū
latæ. ibid. opes corradi. 376. meditatur fu-
gam. ibid. facultatem petit cineres defuncti
Imperatoris venerandi. 377. displicet petitio
Regi, ibid. judicatur imposturæ reus. 377. li-
gatur catenis, exiuitur bonis. 377. perfidiæ
arguitur. 378. ad crudelem mortem conde-
mnatur. 378. sententia mitigatur. 379. cū to-
ta familia exscinditur, qui Christianos cona-
batur

INDEX.

- batur è Regno ejctos. 379. in eandem pœnæ
foveam ab eo P. Adamo paratam incidit ipse.
380. & seqq. dolor de admissis facinoribus.
382. Ipse, ejus filij & nepotes capite plectū-
tur. 379.
Successor Regni Regis filius *Cam-hi*. 307.
Sumpt' post mortem concubinæ Regiæ quanti
impensi. 323.
Supellectilis pretiosæ copia Pequini. 98.
Sygnau fu, metropolis *Xensy*. 98.
Symbolum Apostolicum Regi explicatur. 208.

T.

- Tabula Legis Dei à Rege laudatæ Amacai so-
lenniter excipitur. 74.
Tam-iō-nám nomen P. Adami Schall. 115.
Tartari à Rege Chinensi in auxilium vocantur
6. abutuntur victoriâ. ibid. pellunt cives in
suburbia. ibid.
Tartarorum in Chinam hostilis irruptio. 12.
horum indoles 85. 261. denuo vocantur in
auxilium. 95. obtinent liberum commercio-
rum usum in China. ibid. Latrones profi-
gant. 96. Tartarus, Chinensium Rex saluta-
tur. 110. Tartarorum origo. 132. Tartarorū
omen de Imperio. 138. sepeliendi ritus. 316.
317.
Tar-

INDEX.

- Tartarus Catechistæ munus suscipit. 261.
Tartari juvenis constantia in Fide. 262. & seqq.
Templum Christianorum Pequini publicè eri-
gitur. 231. ejus descriptio. 232. & seqq.
Templa jubentur claudi. 360. Templum Pe-
quinense alterum solo æquatur. 375.
Terræ divisio & hiatus. 386.
Terræ motus. 337. 383, 384. 385.
Terræ sterilitas & famæ. 375.
Tenebræ densissimæ. 386.
Theophoriæ festum. 241.
Theta nigrum. 195.
Thesaurus Pequinensis quantus? 98.
Thori servati fidelitas. 278.
Titulus Sinarū Imperatoris est *Filius Cæli*. 200.
Tomentorum æncorum usus in Chinam in-
ductus. 64. ijs obstupecunt Chinenses. 64.
Trabs prægrandis lanceæ instar in cœlo visa.
383.
Tumbæ pretiosæ cum cadaveribus cremantur.
314. depictæ. ibid.

V.

- Vâm Eunuchi conversio memoranda. 41.
Vâm Peù Lai examinatur Mathesi. 71. impu-
gnant P. Adamum. 72. fraudulenter agit:
ibid, moritur in carcere. ibid.

INDEX.

- Variolis mortui centum diebus asseruantur. 314.
Villæ tredecim concidunt. 390.
Vita Christi Regi offertur. 36.
Virgines Christianæ divinitus servantur à latronibus illæsæ. 91.
Vngarus Pater Societatis JESV à Turcis captus Tartaris venditus. 261. petit Socios Româ. 262.
Vibes duæ absorbentur. 391.
Vxorum pluralitas cur prohibita uni marito, explicatur Regi. 207.
W.
Wolga, fluvius. 261.
X.
Xenſy Provinciæ descriptio. 98. multitudo urbium. 99.
Xensiensium humanitas in P. Adamū. 108.
Xún-chy Chinensium Rex. vide Rex.
Y.
Yam-quam-sien Sectarum Præses P. Adamū & Socios rebellionis accusat. 58. Legem DEI falsam dicit. ibid. cupit eam fundit, abolitam. 358. in malitia perseverat. 361.
Z.
Zelus indiscretus. 356.

De ortu
fidei
in regno
christi

Th
5019